

Platonis in dicendo summatim et cunctatim inaequalem tanto
ope et admirata antiquitas, ut non solum eam apud Anticam appellave-
rit, sed et ipsius Gratas in formam suam esse indicant. **ma 560**
Sicut in se et Thie scriptis sapienter et Xeno-
schola instituit. Quam ut pro fidei et salutari institutione propter
suo quum aliquam referret, hinc ad obsequium et curam. I. Iovani
dicta et facta memoria digna a se his mandata, postentur
reliquit. Ut n. excellentem virtutem et divina merita semper co-
mitem impudicam et obprobria hominum malorum. Ita et innocens.
In Socrates suis habuit invidiosos et calumniantes quos cum, q. et de-
as uisitas generavit et invidiam. Concupiscit, falso accusatus
et ut tandem condemnari quibus calumniis et invidiis effici-
bant. **Script. Grati. in Quarto N. 25.** hoc primo
tit. refutat et suavitatem semper recte
re perindivisam fuisse ac invidiosos. **II 2 a 3** hoc secundo
cultum. Iam in ad obsequium ad modestiam ad tempus ad laborem
et sedulitatem ad gravem sodalium, item obsequium in honestum et a-
more illicitum vitandum, ad castitatis decorem, hinc ad
tam virtutem studiose colendam cum salutari propter. et gratia
nihil arguit, hinc proprio suo exo eos informasse ostendit. In primis
vero accurata consideratione dignum est in hoc libello locum de perinde
haec quam probat Xenophon de figura hominis et partibus h. corporis quae
singula mirabili arte et sapientia dante, ad singula officia destinatae
sunt.

CAROLI SIGONII
DE VITA ET REBUS
GESTIS P. SCIPIONIS
ÆMILIANI
LIBER.

Tam primum in Germania editus,
de consilio, & studio
IOANNIS CASELII.



*Ex donatione Ioan: Caselij
Viri Clariss: Rostochij.*

ROSTOCHII
APVD STEPHANVM MY-
LIANDRVM.
ANNO

CIC ID XXCIV.

CAROLI SECONDI

DE REBUS

REPUBLICAE

ROMANAE

LIBER

Imperatoris Caroli

de rebus

republicae

Imperatoris Caroli

de rebus

LIBER


Imperatoris Caroli

de rebus

republicae

LIBER





IN P. SCIPIONEM
ÆMILIANVM.



Confilio & lingua præstans & vindice
dextra

Scipiades minor, haudquaquam à maiore
secundus,

Æmulus in primo Cyri & certamine victor,
Fulmen bellipotens, Tyriæ Carthaginis horror,
Deliciæ duri Martis castæque Mineruæ,
Cur dubitant quo fato extremam clausurit horam?
Sive etenim haud obiit, siue est post fata superstes.
Namque hodie quot vel dicuntur viuere nobis
In populo, inque alijs, qui se populi esse negabunt,
Vmbrae Erebi, lemures, Mormus obscura propago,
Quorum Cimmerijs est vita sepulta tenebris?
Tum quoque, cum viui, & vigilantes, lumine aperto,
Grandifico fastu Phœbæam lampada cernunt.
Verum Scipiadae vitam monumenta loquuntur
Priscorum, quos Roma potens, quos doctior Hellas
Edidit. Hæc plenè & subito si nosse laboras;
Quæ tibi vis, præstat Sigonî sedula cura:
Vndique cuncta opus hoc bene qui collegit in vnum:
Omnes proque vno sint, sit proque omnibus vnus,
Optimus historiæ assertor veterisque nouæque,
Cui sermo è Latio, è medio est mens culta Lyceo,
Nobilis haud tantum seculo hoc Sigonius vrbe
Felsinea, seclis sed per totum omnibus orbem.

IOANNES CASELIUS.

CAROLI SIGONII
DE VITA ET REBUS GESTIS
P. SCIPIONIS ÆMILIANI
LIBER.

Ad Illustrissimum Principem IOACHIMVM FRIDERICVM Marchionem Brandenburgensium, Ducem Pomeraniæ, &c. & Administratorem Archiepiscopatus primarij Magdeburgensis, Dominum suum clementissimum.

EX omnibus, qui philosophiæ vim atq; usum verbis exprimere, ac ratione definire conati sunt, illustrissime domine, nemo mihi aut elegantius dixisse aut commodius sensisse videtur; quam qui philosophiam similitudinem atq; imitationem quandam diuinæ esse naturæ scripserunt. Etenim cum Deus in eo totus sit sapientissimorum hominum sententia occupatus, ut aut se ipsum, qui fons est veritatis, intueatur, aut hominum utilitati salutiq; prospiciat; profecto, qui se Deo similem reddere prorsus voluerit, is se totum investiganda veritati tradiderit, aut operam certè suam ad alienas tuendas rationes accommodauerit.

clauerit. Hæc autem duo philosophiam & honestè profiteri & accurate præstare, facile intelligemus, si ad utramq; illius partem animum mentemq; nostram traducere voluerimus: Quarum altera naturas, ac potestates rerum ita indagat, ut in una tamen veri notitia conquiescat: altera vero, ad agendum progressa, totam se ad commoda & rationes hominum porrigit atq; explicat. Itaq; qui priorem nacti laudem sunt, hos fere excellentes virtute viros, qui posteriorem etiam adiunxerunt, eos vero Deo simillimos homines, iure dicere consueuimus. Huc autem cum ceteros homines intueri, tum eos præsertim, quibus Deus, ut aliis præessent hominibus, dedit, nemo, opinor, negabit. Neq; enim cum rectori populorum ipsa eorum, quibus præsit, salus præcipuè sit proposita, aut falsa rerum opinione imbutus, aut ipsa gentium commoda auersatus, prodesse illis, aut perfectè poterit umquam, aut voluerit, sed is demum, qui recta administrandi ratione perspecta omne suum studium in eorum, quos

rexerit, utilitatibus sibi collocandum existi-
mauerit. Huius autem generis homines cum
semper pauci fuerint, tamen hoc tempore
quàm paucissimi numerantur, non solum
propter incredibilem rei difficultatem, sed e-
tiam propter depravatam horum sæculorum
consuetudinem: quod quos annos in studiis
litterarum & rectis actionum officiis perci-
piendis consumere deberent, eos fere in iis,
quæ corporibus oblectamentum potius, quàm
quæ animis ornamentum afferant, homines
ponere soliti sint. Quamobrem incredibile
profecto memoratu est, quantam ego volu-
ptatem animo meo captam, cum te adolescen-
tem splendidissimo genere natum atq; excellen-
tissimo ingenio præditum, ita ætatem adhuc
tuam instituisse, ex multis audio, ut non mi-
noribus opibus ad iuandos homines accessu-
rus sis, quàm præclara adhuc tibi honesta-
rum disciplinarum ad verum cognoscendum
presidia compararis. Quod cum non minus
eximia patris, auiq; tui, summorum princi-
pum imitatione, quàm optimi, & eruditissi-
mi

PROOEMIUM.

mi præceptoris Thomæ Hubneri institutione,
 sis consecutus, non horum tu quidem tempo-
 rum, sed veterum, ut video, annalium in-
 signe aliquod expressisti ad memoriam poste-
 ritatis exemplum. Quorum in hoc genere
 unum mihi semper præ ceteris magnopere
 placuit P. Scipionis Æmiliani: quem virum
 non tam rei bellicæ, quam doctrinæ & elo-
 quentiæ, & omnis deniq; humanitatis laude
 florentissimum, cum præclara Pauli Æmilij
 parentis sui, clarissimi viri, imitatione, tum
 frugifera in primis Polybij, magistri eruditis-
 simi, consuetudine accepimus esse perfectum.
 Itaq; cum ego summa huius viri admiratio-
 ne captus iam tum, cum adolescens eram, fa-
 cta, dictaq; ac vitam deniq; eius omnem, ex
 variis veterum scriptorum, commentariis
 collegissem, ac meo arbitrio digessissem, faci-
 endum mihi putavi, ut eximia mea erga te
 observantia testimonio, ac certo devoti obse-
 quij monumento, eam nunc in tuo multò cla-
 rissimo nomine divulgarem: præsertim vero
 cum humanissimis, atq; honorificentissimis
 tuis

CAROLI SIGONII

tuis ad me litteris ad respondendum impulsus, aliquid me tibi eiusmodi debere officij arbitrarer. Quare quamq̃ ipse es in ea familia natus, quæ excellenti maiorum suorum suppeditanda memoria, ex quibus septem iam Electores imperij numerantur, te ad omne decus, atq; honestatem excitare per se satis possit: patrem autem Io. Georgium, avumq; Ioachimum Secundum ex iis, quos dixi, Septemviris unum habes, qui te domesticis imbueret virtutis præceptis, atq; honestis inflammare ad summa omnia exemplis queant, non puto tamen, fore inutile, si ad has tantas opportunitates præstantis etiam quondam apud Romanos & virtute & fama viri cognitionem & imitationem adiunxeris: quem constat in utroq; de quo dicebam, & intelligendi & agendi officio, unum ætate sua præcelluisse. Habet enim antiquorum virorum perspecta virtus maius nescio quid, quam recentium, ad nostros animos acerrimo quodam veræ laudis & solidæ gloriæ stimulo incitandos. Verum ad rem aggrediamur.

Æmilia

A Milia gens Romæ clarissima fuit, non
 solum sanguine, verum etiam vetustate.
 Mamercus enim, Numæ regis filius, quem
 propter incredibilem sermonis leporem Græco
 nomine Æmilium appellarunt, auctor huius
 generis traditur. Cuius rei argumento est
 Mamercini cognomen, quod ab eo acceptum
 gens Æmilia ferè in perpetuum conseruauit.
 Ab hoc deinde, quasi ab uberrimo quodam
 fonte, plures aliæ eiusdem gentis familie, nem-
 pè Barbule, Lepidi, & Paulli, manarunt.
 Cum autem reliquorum præstantissima virtus
 in rep. enituit, tum maxime Paullorum, è qui-
 bus hic Scipio genus traxit, qui P. Æmilij
 Paulli ab ineunte adolescentia nomen tulit.
 Proauus enim huius, M. Æmilius Paul-
 lus, quem M. F. L. N. fuisse vetustissima
 lapidum monumenta testantur, consul bello
 Punico primo cum Ser. Fulvio Nobiliore fuit,
 anno ab urbe condita quadringentesimo no-
 nagesimo octauo. Quo in bello maiore forti-
 tudine, quam fortuna est usus. Siquidem re
 præclare in Africa gesta, & classe hostium
 B maxi-

maxima tum depressa, tum capta, cum victor
 in Siciliam se referret, gravissima tempestate
 iactatus, maiorem classis suae partem amisit,
 proximo tamen anno de Cosurensibus, &
 Pœnis navalem triumphum pro consule egit.
 Anus L. Æmilius Paullus primo consulatu
 de Illyriis triumphavit, secundo contra An-
 nibalem cum Terentio Varrone profectus, eo
 animo fuit, ut ubi collegam ab iniquo commit-
 tendo prælio oratione deterrere non potuit, ipso
 pugna auctore se in fugam conijciente Varro-
 ne, mortem sibi potius oppetendam, quam
 tam turpem capeffendam fugam esse statuerit.
 Jam patre L. Æmilio Paulo nihil Romæ
 clarius, atq; illustrius fuit, ut qui priore con-
 sulatu Ligurum, posteriore Macedonum
 opibus bello fractis, diu Romæ principatum
 auctoritatis & gloriae obtinuerit. Hic autem
 Paullus duas, ut scribit Plutarchus, uxores
 habuit. Earum una Papiria fuit, C. Papi-
 rij Masonis, clarissimi viri, filia, qua cum
 ille parum explorata causa diuortium fecit,
 cum duos iam filios ex ea *Quintum, & Pu-*
blium

blum suscepisset. Publius autem Ap. Claudio, & M. Sempronio cos. natus anno urbis D. LXVIII. educatus ita accurate, ac liberaliter est, ut neq; diligentius, neq; rectius ad omnis excellentiam laudis egregius puer aliquis erudiri potuerit: hoc autem sedulitate in primis, ac diligentia patris: qui accepta in secundi consulatus petitione repulsa, totum se contulerat ad filios suos ingenuis disciplinis atq; honestis artibus omnibus instruendos. Itaq; Romana eos disciplina & patria prout ipse imbutus erat, Græcis autem litteris, atq; doctrinis paullo aliquanto ambitiosius instituendos curauit: quippe non grammatica solum, ac rhetorica doctoribus accersitis, sed pictoribus etiam, & fectoribus, atq; nobilibus in primis venandi, atq; equitandi magistris: usq; adeo ut ijs erudiendis ipse sæpè etiam interfuerit. Factum est autem, ut hic puer cum ad omnem virtutem satis, ut in illa primæ ætatis potuit imbecillitate, iam profecisset, non in Æmilia familia manserit, sed in Corneliæ se contulerit: nimirum à P. Scipione,

P. Africani, qui Annibalem bello deuicerat, filio adoptatus: quem Cicero scribit tenui admodum fuisse valetudine, sed insigni tamen eloquentia, & multo, quam pater eius Africanus fuerat, uberiore doctrina. Ab his ergo nobilissimis siue generis, siue disciplinae incunabulis profectus adolescens clarissimus, ita ad omnem perpetuo ex virtute laudem contendit, nihil ut aliud versare in animo visus fuerit, quam ut ingentem patris Pauli, auiq; Africani summorum virorum gloriam, tum bellicam adaequaret, tum domesticam anteiret. Id quod quibus ille rebus gerendis sit affectus, breui, & quidem a primo illius tirocinio, demonstrabo.

Prima ille stipendia, annos natus decem & septem, in Macedonia fecit, patre ipso Paullo iterum consule, atq; imperatore, bello eo, quod tum cum Macedonum rege Perseo grauisimum gerebatur: in quo illud ad perpetuam illius memoriam insigne edidit, quod regem ipsum Persem graui a patre praelio pulsum, tam acriter, & cupide est persecutus, ut
longo

longo temporis spacio nusquam apprensus cecidisse in praelio creditus sit. Accessit ad prudentiam adolescentis augendam, ac disciplinam eius militarem instituendam, quod parva victoria pater, dum legati Roma ad res Macedonicas componendas, regionemq; constituendam venirent, cum Graciam circumire, eaq; loca perlustrare decreuisset, qua, ut inquit Linius, nobilitata fama, tum auribus magis accepta erant, quam oculis cognita, hunc perpetuo sibi comitem esse voluit: ut facile iudicari possit, quae Paullus ex re bellica haberet, vel usu, vel ratione comperta, ea tum in illa peregrinatione omnia filio tradidisse: siquidem Scipionem multa militaria patris documenta in sermone accipimus usurpasse: quorum memorabile illud: Bennum imperatorem nunquam ad decertandum adduci oportere, nisi vel summa eum necessitas cogat, vel egregia occasio adhortetur.

His positis sub tanto imperatore militia rudimentis, reliquum tempus omne, quod inter Macedonicum patris triumphum, quem

B 3

ipse

Ora sapientum

ipse cum fratre Fabio Anniliano cohonestavit, & Luculli, cui postea legatus fuit, consulatum intercessit, partim in legitimis stipendiis conficiendis, partim in rectissimis studiis litterarum concelebrandis, quantum perspicere potest coniectura, traduxit. Fuit enim hic vir praestantissima cuiusque artis ac disciplina mirifice studiosus: cuius rei non minimo illud est argumentum, quod nemo tum extitit paullo aut ingenij aut doctrinae elegantia copiaque ornatiores, cuius ipse aut non intimus familiaris, aut non assiduus auditor esse cupiverit. Siquidem C. Lelio nobilissimo & eruditissimo adolescente, eo, qui Sapiens postea dictus est, tam familiariter usus est, ut cum eo non res domesticas solum & bellicas communicaret, sed studia ipsa etiam cognitionis atque scientiae: quibus ipsi remoti ab oculis populi magnam temporis partem impertiebant. Polybium autem Megalopolitanum, virum doctissimum atque eloquentissimum, non solum domi liberalium studiorum ducem, sed etiam militiae bellicorum periculorum participem habuit. Cum Pana-

tio

tio porro viro tum in Stoica disciplina percla-
 ro non solum & domi & foris coniunctissime
 vixit, sed etiam præcepta & doctrinam eius
 sæpè ad res maximas gerendas adhibuit.
 Nam P. Terentio poëtæ elegantissimo tantus
 cum hoc, & eo, quem nominavi, Lælio usus
 intercessit, ut multi propterea fabulas eius non
 à Terentio, sed aut à Lælio, aut à Scipione scri-
 ptas esse crediderint. Ex omnibus autem do-
 ctinæ commentarijs uno Xenophontis libro
 mirificè est delectatus eo, in quo ita philoso-
 phus ille regis Cyri vitam ac disciplinam est
 persecutus, ut omnia diligentis, ac moderati
 imperij officia in unius persona regis effinxe-
 rit. Ex quo intelligi potest, virum hunc non
 tam nature bonis, quibus abundavit, instru-
 ctum, quàm studij atq; doctrinæ præsidijs,
 quæ nunc pleriq; negligunt, ipse sibi gravissima
 comparavit, ornatum ad tantum, quo postea
 pervenit, immortalitatis & gloriæ fastigium
 ascendisse.

Bellicarum autem virtutum, quod memo-
 riæ proditum sit, primum ille specimen dedit
 in con-

in consulatu imperioq; Luculli. Nam cum bellum aduersus Celtiberos in Hispania parum prosperè à multis ducibus gestum totam ciuitatem ita perculisset, ut nemo reperiretur, qui legatus Lucullo, aut tribunus militum, ire vellet, hic progressus in medium, quanquam erat iam in Macedoniam designatus, magno animo ausus est dicere, se militia onus in Hispaniam, quodcumq; fuisset impositum, subiturum: qua voce uniuersè illius animos iuuentutis noua quadam militandi cupiditate visus est accendisse. Legatus igitur L. Lucullo imperatori profectus, incredibile est, quantum opinionem de se omnium superarit, in omni militari officio dextrè ac fortiter obeundo. Quarum rerum si unum atq; alterum maxime ad commemorationem illustre monumentum attulero, abundè me muneri satisfacisse meo existimabo. Obsidebat forte Lucullus Vacceorum oppidum Intercatiam, ac ciues tota manu congregari non audentes quotidie ad prælium euocabat, cum eximia corporis magnitudine miles quidam processit in medium,

¶

Et, quanta maxima voce potuit, Romano-
 rum fortissimum quemq; increpitans ad pu-
 gnam sepius prouocauit. Huic ergo cum Sci-
 pio sese, ceteris obmutescentibus, ac propè atto-
 nitus, ostendisset, tantum virtute perfecit, ut
 non insolentem solum barbarum, congressus
 comminus, interfecerit, sed suos etiam in spem
 belli eius bene feliciterq; conficiendi adduxe-
 rit. Post hæc cum Lucillus in oppidum vi per-
 rumpere statuisset, omnium in se pariter ipse
 ora conuertit, cum muros urbis non sine maxi-
 mo sui periculo primus ascendit. Quibus de
 rebus non solum apud suos, sed etiam apud ho-
 stes magnus haberi iam erat cœptus. Neq;
 vero tam magnitudinem ac celsitatem animi
 hostes admirabantur, quàm iustitiam et fidem
 amplectebantur. Nam cum Romanus im-
 perator, neq; obsidione neq; oppugnatione po-
 tiri oppido potuisset, sed à muris in profundam
 vallem repulsus, ac multis difficultatibus affe-
 ctus, conditiones pacis Intercatiensibus ferre
 coactus esset; non antè illi eas accipere in ani-
 mum induxerunt, quàm spondente Scipione,

C

Et pri-

Et privatim fidem suam interponente conscri-
 ptae sunt. Quin idem etiam tantum iam e-
 rat apud imperatorem auctoritatis adeptus,
 ut cum auxilia à Massinissa, Numidia rege,
 populi Ro. socio, sibi essent petenda, quem po-
 tius, quàm Scipionem, ad eum mitteret, ha-
 buerit neminem. Erat tum rex ille gravissimo
 bello Carthaginensium implicatus, iamq; aci-
 es ex utraq; parte ad præliandum erant in-
 structæ, cum Scipio ad eum peruenit. Itaq; à
 filio regis humanissimè, honestissimeq; acce-
 ptus, eorum, ut res prope ipsa cogebat, inter se
 pugnam ex edito quodam colle spectauit. Quis
 ex re tantum voluptatis accepit, ut saepe postea
 glorians dicere solitus fuerit, duos tantum an-
 te se eiusmodi fuisse spectaculo delectatos, Io-
 nem, cum ab Ida, Neptunum, cum à Samo-
 thracia acies inter se ad Ilium, (Homero teste,
 concurrentes spectarunt.) Cum autem fama
 aduentus eius totam iam esset ferme Afri-
 cam peruagata, tanta fuit iustitiæ illius inter
 eas gentes opinio, ut eum non tam Massinissa,
 quàm Pœni de pace arbitrum, quasi impera-
 torem,

torem, ascuerint. Appianus tamen elephantis, quorum causa venerat, à rege acceptis, ipsum scribit retro se ad Lucillum è vestigio contulisse.

Duobus inde post annis, cum Manio Manilio consuli bellum Carthaginiensibus inferenti tribunus militum obtigisset, existimari vix potest, quantum ceteris omnibus & animi & consilij magnitudine antecesserit. Nam cum consul oppugnatione urbis saepe frustra tentata per quandam murorum partem, quæ paullo antè deiecta, nondum probe fuerat restituta, ex improviso irrumperere cogitasset, ac Scipio Pœnos prærepto imperatoris consilio suos ita disposuisse audisset, ut alij armati Romanorum impetum sustinerent, alij inermes ligna, et lapides in eos ingredientiés ex loco superiore conijcerent, quin maximum propulsaret, quod suis imminere periculum providebat, haud sibi esse cunctandum censuit. Quare cum cohortes suas in plures partes distribuisset, easq; non procul à muris ex intervallo constituisset, datis mandatis effecit,

C 2

ut non

ut non eos solum, qui in urbem irrumperere, sed
 illos etiam, qui laceffentibus instare hostibus
 cuperent, à certamine cohiberent. *Quan-*
quam apud Livium inuenio hanc consilij te-
meritatem non consuli ascribi, sed duobus mi-
litum tribunis, quos ille scribit, cum neglectos
ab una parte muros cum cohortibus inuasif-
sent, et ab hostibus vehementius premerentur,
à Scipione esse potissimum conseruatos: cui il-
lam etiam deberi laudem adiungit, quod pau-
cis equitibus adiuantibus castellum Roma-
norum nocturna oppugnatione hostium libe-
rarit. // Post autem cum Pœni summa vi ex
 urbe silentio noctis egressi castra Romanorum
 adorti essent, unus item extitit Scipio, qui subi-
 to consilio salutem attulerit. Etenim è portis
 castrorum egressus ijs, quæ à prælio longius ab-
 erant, cum impetum in Carthaginienses fecif-
 set, illos repentina irruptione ita perterrefecit,
 ut extemplo relictis castris intra mœnia se re-
 ceperint. Quibus rebus tantum iam terroris
 omnibus, simulq; tantam virtutis opinionem
 attulerat, ut Himilco Phameas, strenuus sane
 hostium

hostium praefectus, qui magno aliàs incommodo Romanos milites, quoties frumentarentur, affecerat, Scipione copias adducente, nusq̄ se ostenderet: quòd animaduverterat, Scipionem non, ut alios, temerè in campos exire, sed certis antè in locis equites peditesq̄ paratos aduersus hostiles, sicunde emergerent, insidias collocare. Quam laudem cum obscurare, aut aliquo modo minuere tribuni reliqui uellent, hoc iccirco facere Phameam dictitabant, quod à Scipione inire gratiam cuperet, quo cum summa uetustas esset, atq̄ iam inde usq̄ ab auo eius Africano amicitia instituta. Quin etiam paucis post diebus cum Romani à pabulatione reuenterentur, magno periculo circumuenti, eiusdem prudentia sunt ac fortitudine conseruati. Etenim cum Pœnorum milites nauium Romanarum praesidium inuasissent, simulq̄ ciues in urbe ad arma conclamauissent: Scipio, consule sese, quod clamoris causam ignoraret, castrorum munitionibus continente, subito cohortes suas, quibusdam cum accensis praire facibus iussis, eduxit: non ut per no-

etem praelio dimicaret, sed ut hostibus tumultuosius omnia peruagantibus maioris speciem multitudinis obijceret, eosque perterrefactos in urbem confugere, ommissa nauium, ut fecit, oppugnatione, compelleret. || His de rebus adeo in ore ciuium omnium erat, ut M. Cato senex, qui superioris Africani magnitudinem allatrare antea consueuerat, quid de ijs, qui tum in Africa militabant, sentiret, interrogatus, de Scipione versus Homericum usurparit: Iste viget solus, reliqui velut umbra vagantur. Iam vero quantum consulem ipsum etiam rei bellicae prudentia anteierit, aperte ostendit: primum, cum ei dissuasit, ne aduersus Asdrubalem ad Nepherim tum castra habentem, contenderet, quod per angusta, ac difficilia loca iter faciendum esset: deinde, cum eundem iam per tria ferme stadia ad Asdrubalis castra progressum admonuit, ne aut flumen quoddam traiceret, ut facilem suis, si res posceret, receptum relinqueret, aut certe se ante fluum firmi valli presidio communiret, quò se, si forte pelleretur, referre statim, ac sine periculo

17 de 38, 521

17 de X, 495 ?

17 de Afr

periculo posset. Quod consilium quanquam ab aliis tribunis ita irrisum, ut quidam etiam gladium se abiecturum esse diceret, si Scipio, non Manilius imperaret, prudentissimum fuisse, haud ita multò post rei euentus declarauit. Nam cum commisso trans flumen praetio Asdrubal suas in castra copias, ubi à Romanis legionibus nihil accipere detrimenti poterat, reduxisset, ratus, id quod res monebat, Romanos, inopia commeatus ex ijs locis mouere coactos, sibi occasionem aliquam ad se adoriendum daturus, obseruato eo tempore, quo pedem referentes in tranando flumine impediti ordines propter angustias vadorum interrupissent, eductis copiis undiq; in eos inuadit, ac secum acie dimicare (vel) iniquissimo loco compellit. Tum Scipio cum exercitum Romanum summum in discrimen adductum videret, ac sibi maturandum ad eos, quoquo modo posset, subleuandos existimaret, satis, ut in re trepida, salutare consilium capit: ad trecentos equites, quos secum habebat, alijs quot maxime potuit, aduocatis, mandauit, ut

uit, ut alij iacula, sagittasq; in hostes conijcerent, alij ijs, qui fessi iaculando essent, recentes, integriq; succederent, atque orbe quasi quodam opportuna pugnantium vice certarent.) Ita cum iussa ab omnibus diligentissime fierent, Asdrubal eos, qui flumen transibant, relinquere coactus, se totum in Scipionem, ad omnes partes adequitantes, ac pugnam universam consilio, ac fortitudine sustententem convertit. Scipio suis fluminis commode trajiciendi spatio dato, ipse post se ab eius impetu facile liberavit. In eo praelio prater ceteros tribuni militum tres ex ijs, quibus maxime pugna placuerat sententia, ceciderunt. Interea Romanis, postq; in castra peruentum est, cohortes aliquot, quae se a flumine praelij eius initio in editum collem quendam subduxerant, ab Asdrubale obsideri, magnoq; in periculo positas esse, renunciatum est. Omnibus eo nuncio gravissime perturbatis, cum quidnam opus esset facto, consultaretur, ceteri quidem deserendos eos, nec paucorum conseruandorum causa tam multos tantis periculis obijciendos

ciendos censebant. At Scipio haudquaquam se passurum testatus, viros fortes subsidij inopia in manus hostium peruenire, paucis equitibus delectis, & commeatu paucorum dierum sumpto, ad hostes profectus, diuersis è partibus in eos impetum fecit, ac repente circumuentos fuga salutem petere coëgit. Quo ex factò tantum laudis adeptus est, ut ad suos rediens, ubi procul cum socijs visus est incolumis aduentare, magno ab omnibus clamore, atq; ingenti plausu exceptus sit, & Manilius consul, eo obsidionali corona donato, se in eos acrius animaduersurum edixerit, qui illius in recipiendis copijs mandato non paruissent. Angebat interim ea cura plerosq; quod occisorum tribunorum corpora honore sepulturae carerent, eiusq; rei procuratio deposci à Scipione tacitis propè vocibus omnium videbatur. Id quod ille sentiens, quendam dimitti ex captiuis Carthaginensium iussit, eumq; ad Asdrubalem proficisci, precipiens, ut verbis ab eo suis sepulturam cadaveribus posceret. Qua ille re cognita, siue quod hoc humanitatis esse

D cense-

censeret, siue quod Scipionem metuens, ei obsequi potissimum cuperet, corpora tribunorum, ex annulis aureis, cum ceteri ferreo uterentur, scrutatus, diligentissimè sepelienda curauit. His de rebus consul, ac tribuni militum, & uniuersus exercitus, cum legati ad res Africa inuisendas à senatu missi adessent, ea de Scipione narrarunt, ut incredibile uideretur, laudes cuiusq̃ aut pluribus aut grauioribus præconiis posse celebrari. Quæ eadem, cum postea Romæ in senatu oratione legatorum exponerentur, non illum ordinem solum magna spe, ac voluptate complerunt, sed populum etiam sic ei conciliarunt, ut proximis comitiis, quibus L. Piso, & Sp. Postumius consules facti sunt, consul à multis centuriis diceretur. Erant Masinissa regi filij multi: quorum tres ex uxore, reliqui è concubina suscepti. Hos rex cum malè inter se concordēs esse, ac morbo et ætate confectus, finem sibi uitæ adesse animaduertēteret, petijt à Manilio per litteras, ut ad se Scipionem mitteret. Nam se ex eius sententiâ patrimonium suum inter filios diuidere

dere

dere velle. Missus Scipio cum regem mortuum offendisset, tamen quod eundem audiebat ante mortem praecepisse filiis, ut sibi rebus in omnibus morem gererent; regiam inter eos hereditatem ita diuisit, ut possessiones quidem ijs, quos rex è concubina genuerat, assignarit, legitimos vero thesauris ac vectigalibus, & regio praeterea nomine peraeque omnes affecerit. Micipsa porro, qui reliquos anteibat etate, & paci imprimis studebat, Cirtam urbem regiam, Gulussa, qui militaribus erat artibus eruditus, belli pacisque potestatem, Manastabili, qui omnium minimus erat natus, quoniam excellere iustitia intelligebat, qua inter populos controuersa essent, cognoscenda permisit. Quin etiam Gulussam, quem virum strenuum esse cognouerat, ad belli Punici societatem adduxit. Atque hoc auctore saepe Phamea postea insidias euitauit, quibus Romanos ille perpetuo appetebat. A quo, tantum absuit, ut Scipio caperetur, ut eundem illum potius ad se cum ipsius equitatu traduxerit. Id quod hoc modo administratum esse accepimus. Iacebat

inter duos montes vastissima quaedam vallis,
 eiusq; ab una parte Asdrubal, ab altera Sci-
 pio copias per tramites quosdam ducebant.
 Scipio vero, qui Phamea quotidie novas insi-
 dias aliquas metuebat, cum tribus prægressus
 comitibus locum omnem diligentius explora-
 bat. Quod animadvertens Phameas, præ-
 missis copiis suis cum uno & ipse comite pro-
 cessit obviam: cumq; ita appropinquassent, ut
 alter alterum audire posset: Cur, incipit Sci-
 pio, saluti tuæ, Phamea, non consulis, posteaq;
 communi non potes? at ille: quæ potest salus,
 inquit, inueniri tam perditis Carthaginensi-
 um rebus, ac Romanis à me tam graviter ir-
 ritatis? Tum Scipio, polliceor, si quid in me
 fidei est, inquit, tibi apud Romanos, si ad nos
 te contuleris, nec veniam, nec gratiam defu-
 turam. Ego vero, inquit ille, te dignissimum
 iudico, cuius fidei me committam, sed ut hoc
 fieri possit, profecto vides: atq; his dictis am-
 bo recesserunt. Paucis post diebus, cum ite-
 rum Manilius castra ad Nopherim haberet;
 nuncius quidam è Gulussa exercitu epistolam
 Scipioni

Scipioni reddit, in qua hæc scripta erant: Hodie ad locum illum veniam, ubi collocuti sumus: tu fac, ut quibuscum tibi visum fuerit, præsto sis. Hæc Scipio, quanquam à quo mitterentur, non extabat, mitti à Phamea suspicatus, consulem, quid opus esset facto, consiluit. Is etsi, ne quid subesset insidiarum, veritus, de Scipionis salute magnopere laborabat: eum tamen ire concessit, ea lege, ut Phameæ impunitate promissa, premia ea tantum ostenderet, quæ fides, & virtus eius postea meruisset. At his quidem verbis opus non fuit. Nam Phameas ubi primum in conspectum Scipionis venit; satis ei se de sua salute credere dixit: ceterum, ut gratiam sibi Romanorum compararet, fide et officio annexurum. His rebus dictis postridie eius diei se ad prælium instruit, ac cum ceteris ducibus in medium progressus, quasi magna alia de re verba factururus: Si patria, commilitones, inquit, ferre auxilium licet, nullum adhuc periculum communis salutis caussa recusato: Sin autem res in eum locum adducta est, ut eius conseruan-

D 3

de spes

de spes nulla sit reliqua, cur non nostra tandem
saluti consulimus? equidem quam pro me
ipso, eandem pro omnibus, qui me secuti fue-
rint, fidem accepi: vos, ut tempus admonet,
quæ in rem vestram sunt futura, deligite.
Atq; his dictis ipse ad Romanos cum duobus
millib. et ducentis equitibus transiit. Scipioni
cum Phamea redeunti exercitus obviam læ-
tis clamoribus quasi triumphanti progressus
est. Post cum Manilius utrumq; Romam
dimisisset, ubi Scipionem nauem conscensu-
rum esse percebuit; continuo uniuersus se ad
littus exercitus effudit, eumq; & laudibus et
precibus, ut sibi imperator reuerteretur, est
prosecutus. Romam autem cum venissent,
eorum alter à senatu amplissimè collaudatus,
alter magnificè donatus ad reliquias belli ex
fide conficiendas est excitatus.

Cum autem L. Piso consul, bellum sorti-
tus, L. Mancino classis prefecto, atq; hoc ipso
Phamea secum in Africam ductis, tota æsta-
te nihil profecisset, ac magnam præterea cladē
ad Carthaginem accepisset, populus autem Ro-
manus

manus Pœnos propterea animos recepisse, seq̄s
ad bellum acrius instruxisse cognosceret, o-
mnem in unum Scipionem cogitationem con-
uerterat. Ita cum res reminisceretur, quas
legatus in Hispania, ac tribunus militum in
Africa administrasset, proximis eum comi-
tiis adilitatem tum primum petentem consu-
lem declarauit. Cum autem à patribus, sal-
uis legibus, consulem adhuc eum fieri non
posse per aetatem admoneretur, eo cupiditate
prouectus est, ut ex Romuli, & Tullij legibus
penes se comitiorum esse ius, dixerit, ita ut suf-
fragiis cuiq̄s, quod uellet, uel dare uel detrahe-
re posset. Ita permittente senatu Scipio, legib.
solutus, magno populi studio, cum C. Luio con-
sul renunciatus, idemq̄s extra sortem bellum
cum Pœnis in Africa gerere iussus est. Itaq̄s
exercitū tantum, quantus antè superiores cla-
des fuerat, habendi, itemq̄s à sociis, & à regib.
& à ciuitatibus, quot uellet, & quos ipse pro-
baret, educendi facultatem adeptus, omnibus
rebus ex sententia comparatis, quas ad bellum
necessarias putauit, Vticam aduehitur: quæ
vrbs

urbs circiter octo millia passuum à Cartha-
 gine distans sponte se huius belli initio populo
 Romano dediderat. Tum Piso educto ex
 hibernis exercitu interiora loca adortus pre-
 mebat obsidione. Mancinus autem legatus
 Carthaginis partem, quæ neglecta videbatur,
 quod rupes aspera, & inuisa undiq³, essent, a-
 dortus, scalis clam appositis, urbem ingredi
 conabatur: iamq³, perterritos Pœnos insequens
 portam urbis intrauerat, cum imminente no-
 cte, ad quam pugna perducta erat, rerum ne-
 cessariarum inopiam, imminensq³, periculum
 contemplatus, nuncios statim ad principes V-
 ticensium mittit, qui eos, quanto ipse in peri-
 culo sit, quantaq³, comneatum penuria affi-
 ciatur, edoceat, eosq³, è vestigio, ut sibi subsidio
 sint, rogent. His Scipioni, cum forte vespere
 Uticam accessisset, tertia ferme vigilia nun-
 ciatis, milites tuba confestim vocari, ab ado-
 lescentibus Uticensium comneatum ad naues
 comportari iubet. Post captiuos quosdam
 dimissos Carthaginensibus nunciare iubet,
 mox affore Scipionem. Inde equitibus alijs
 post

post alios missis, qui Pisonem ad opem Mancino ferendam excirent, atq; militibus interea in naues impositis Vtica soluit, ijs admonitis, ut cum hostibus appropinquassēt, erecti super tabulata in illos ora conuerterent. His rebus à Scipione pro tempore raptim instructis, Mancinus prima luce Carthaginensibus ex omni parte urgentibus quingentos, quos solos in armis habuit, duobus hostium millibus à fronte opposuit: iamq; vulnere accepto à muris pulsus profligari videbatur, cum subito Scipionis naues armatorum manu referta, magnosq; cursu Carthaginem contendentes in alto apparuere. Quibus conspectis Pœni, qui à captiuis Scipionem suis subsidio venire didicerant, statim substitere. Illis cedentibus Scipio Mancini milites iam periculo proximos suis nauibus excipit, ipse non procul Carthagine castra ponit. Interea Pœni ex muris per stadia quinq; progressi vallum iaciunt, in eoq; spatio Asdrubalem, et Bythiam collocant: quorum vni sex millia peditum parebant, alteri equites mille satis ad dimicandum,

- E dum,

dum, si ita res postularet, instructi. Scipio autem cum exercitum à Pisonè acceptum, avaritiæ ac desidiæ deditum, atq; omnibus probris, ignavia Pisonis, affectum animadverteret; ante eum sibi emendandum esse constituit, quàm ad pugnam aliqua ratione descenderet. Itaq; concione aduocata, omniumq; ordinum centurionibus adhibitis, primum vehementer eos accusavit, quod eam belli rationem instituisent, quæ nec maiorum suorum disciplina, nec populi Romani dignitatis foret: deinde vero docuit, ex præsentibus moribus factum esse, ut crebris præliorum offensionibus maiores spiritus Pæni sumpsissent, & quos Romani antè contempserant, eos nunc reformidare coacti essent. Post autem cum inutilium hominum multitudine, atq; omnibus, quæ in castris redundabant, sublatis, satis sese milites ad pristinam revocasse disciplinam putasset; insidiis per noctem positis, Megara, qui locus erat urbis amplissimus, cumq; moribus ipsis urbis coniunctus, aggredi statuit. Ita præmissis aliquot è suis, qui ab una parte hostes

hostes imparatos inuaderent, ipse cum aliis ab altera cum securibus, scalis, ac vectibus, ad duo millia passuum, silentio magno, procedit. Cum perceptis à Pœnis insidiis vox è muris edita esset, hostes adesse monentis, tum Scipio, & cum eo sui omnes clamorem sustulerunt. Qui autem à contraria parte constiterant, uehementius extulerunt vocem ita, ut Pœni tot hostibus undiq³, ac tam repente circumfistentibus, magnopere terrerentur. Sed res tamen Scipioni, licet tentaret omnia diligentius, prout ipse statuerat, non processit. Erat tum forte priuati cuiusdã turris extra muros urbis deserta: cuius fastigium altitudinis propè mœnia ipsa urbis equabat, à quibus non longius aberat: hanc cum adolescens quidam audacter ascēdisset, accitis properè aliis, ab ea ad muros urbis, hastis asseribusq³ traiectis pontem facere instituerunt: per quem cum ad mœnia, inde ad Megara peruenissent, statim refractis portis, Scipionem cum quatuor hominum millib. receperunt. Hac re cognita adeo ingens luctus intus Carthaginienses excepit, ut urbs ab

E 2

hosti-

hostibus capta eodem vestigio videretur. Itaque tumultu facto, clamoreque edito omnes se repente contulerunt in arcem, tam illi, qui in urbe erant, quam illi, qui foris in vallo conserant. Scipio autem cum Megarorum campum angustiore, eumque arboribus obstructum, ac dumis et vepribus impeditum conspiceretur, veritus, ne insequenti exercitui difficile iter esset, aut in aliquas insidias ipse incideret, quibus erat ille maxime locus idoneus, gradum sibi referendum esse constituit. Postridie eius diei Asdrubal Megara capta indignè ferens, captiuos omnes Romanorum in muris statuit, eo maxime in loco, in quo à suis facile conspici possent, eosque ibi crudeliter per contumeliam Romanorum varijs excruciatos tormentorum generibus interfecit: scilicet, ut Carthaginienses acerbiorè in Romanos odio incitati, cum eos à se tam grauius violatos scirent, omnem in armis salutis suæ spem collocarent. Quæ res contra euenit, atque ille putarat. Pœni enim noua eius crudelitate summum in timorem adducti ab eo valde alienati sunt,

ti sunt,

ti sunt, quod factorum atrocitate viam sibi misericordia, ac salutis interclusisset. Cum autem precipue à senatoribus incusaretur, ac nimia crudelitatis argueretur, nonnullos eorū interficiendos curauit, ut qui manifestè tyrannidem affectans, se tanto firmiorem fore putaret, quanto omnibus formidabilior fieret. Scipio interea ratus, Carthaginem nisi obsidione expugnari non posse, eam, quoad potuit, circumvallare instituit: primum autem Isthmo omni, qui est à terra, potitus, nō longè ab urbe fossam à mari ad mare per tria millia passuum duxit, cum continenter foderet simul, & pugnaret. Ea fossa perfecta equalem huic alteram in continentem versus effecit, hisq; duas alias similes à lateribus commisit ita, ut quadratū opus efficeretur. Omnes autem sudibus præcutis, stipitibusq; transuersis muniuit. Quæ vero urbi propinquior erat, eam muro per tria millia passuum sepsit, cuius altitudo pedes duodenos supergressa est, propugnaculis ac turribus exceptis, in muro ex intervallo dispositis, latitudo dimidio amplior fuit. In

in medio turrim altissimam excitauit, & super
 ipsam quadratum è ligno propugnaculum,
 quatuor sublatum contignationibus statuit,
 ex quo procul, quæ fierent in urbe, prospice-
 ret. Hæc intra viginti dies, totidemq; no-
 ctes, exercitu perpetuo laborante, ac vicissim
 operi succedente, simulq; pugnante, ac vix
 somnum aut cibum capiente, perfecta sunt.
 Ita intra spatium illud deductis copiis hoc
 boni est affectus, ut uno tempore & ca-
 strametaretur, & hostes re omni fru-
 mentaria intercluderet, quæ à terra defer-
 retur, quod Isthmo excepto reliquis parti-
 bus Carthago mari allueretur. Atq; hinc
 malorum omnium in Carthaginenses origo
 manauit. Nam cum maxima ex agris in
 urbem turba se coniecisset, neque commea-
 tus quidquam, aut terra propter munitio-
 nes, aut mari propter classem Romanorum,
 supportaretur, res eos frumentaria deficere
 cepit: quamquam Bythias præfectus equi-
 tum nouam quandam rationem excogita-
 rat importandi frumenti. Nam cum
 iam pri-

iampridem ad commeatum deferendum
missus, nec clam accedere, nec Scipionis
vallum vi superare auderet, illum navi-
bus imponi iubebat, quæ secundi vim venti
expectantes haud ita multo post plenis in
portum velis ferebantur, cum Romano-
rum triremes propter scopulos, & unda-
rum fluctus inter se non possent harere,
aut naues ob earum impetum impedire.
Sed hoc modicum erat, nec nisi magno
spirante vento subuehi poterat, totumq; ab
Asdrubale triginta millibus militum so-
lis diuidebatur, quos sibi ex omnibus ipse
delegerat. Ex quo efficiebatur, ut fame a-
crius ciuitas reliqua premeretur. Scipio au-
tem cum ne minimum quidem inuehi vellet,
ostium portus, quod ad occidentem specta-
bat, neq; longè à terra aberat, obstruere com-
modissimum statuit esse. Ita aggerem per-
longum à mole quadam, quæ inter stagnum
& mare porrecta, Lingua dicebatur, in pela-
gus eductum, ostio ipsi portus opponit, eumq;
totum saxis ingentibus, & densis firmat,
ne opus

ne opus undarum alluvie solueretur. Id opus primum Carthaginienses irridere, atq; vocibus è muris increpitare, quod ea machinatio compararetur, quæ nunq̄ habitura finem videretur. Ubi vero toto in eam rem incumbente, neq; dies aut noctes intermittente exercitu, se omnino portus illo mariq; interclusos & prohibitos cognoverunt; haud planè animis consternati, alterum ex contraria parte orientem versus effodere statuerunt. Ergo in urbe ita occultè, ut ne captivi quidem Romani, quidquam Scipioni nunciare possent, naues primum ex vetere materia refecerunt. Strabo duobus mensibus CXX. actuarias naues constructas scribit, cum antiqua materia suppeteret, & fabrorum multitudo conducta nunq̄ cessaret. Deinde portum pelago in medio, qua nullam molem ob profunditatem, vimq; ventorū educi posse confidebant, suffoderunt, magno etiam mulierum ac puerorum, una perpetuo laborantium studio. His rebus completis triremes, ac quinqueremes, myoparones, aliaq; complura nauigia paratissima atq;

atq; omni genere armorum instructissima è portu profecta Romanis aduersa constutere. Romanos autem, & os portus improuiso patefactum, & longus nauium ordo celeriter è portu erumpens, adeo exterruit, ut, si Pœni eorum naues, nautis ac remigibus vacuas, è vestigio inuasissent, eas nullo fermè negotio opprimere potuerint. At illi tantum, ut se ostentarent, classem mouere, inde se in portum celeriter recepere. Post triduum cum prælium maritimum committere statuissent, seq; ad id Romani nullo interposito spacio rebus omnibus compositis instruxissent; signo dato, magno clamore ab utraq; parte concursum est, eaq; pugna, cum remigum utring; ac gubernatorum militumq; virtus atq; audacia eniteret, est usq; ad solis occasum magna contentione perducta, cum illi in eius diei casu summæ victoriæ, hi summæ saluis euentum consistere arbitrarentur. In eo prælio Romani ab Afrorum scaphis magnis detrimentis affecti sunt: quæ parua, ac summa leuitate prædicta maioribus eorum, grauioribusq; nauibus

F succe-

succedentes, puppibus perforatis, ac remis &
 gubernaculis amputatis, ex eorum cōspectu se
 repente proripiebant. Sole occidente Pœnis sese
 recipere visum est, non quo proelio cederent, sed
 ut postridie alacrius ad dimicandum redirēt.
 Ea de caussa cum breuiore Carthaginensium
 scapha pręgredientes, ac nauigandi velocitate
 se impediētes, aditum portus interclusissent;
 maiores naues, cum progredi non possent, Ag-
 gerem petiere. Is locus ante mœnia urbis
 fuit amplissimus, in quo pacatis rebus nego-
 tiatores onera sua exponere consueuerant: ve-
 rum hoc imminente bello breui muro munitus
 eo consilio fuerat, ne hostes ut patenti in loco
 sub muris aliquando versarentur. Huc ergo
 ob portus inopiam Pœni delati conuerso impe-
 tu proelium instaurarunt, cum alij ab Aggere,
 alij è nauibus, alij è muro pugnarent. Ac Ro-
 manis quidem & leuis nauigatio, & facilis
 consistentibus nauibus dimicatio erat: cum
 autem regrederentur, difficili ac tarda gra-
 uiorum nauium agitatione à circumcursan-
 tibus Pœnis magna saepe incommoda accipie-
 bant:

bant: quoad quinq; Sidetarum naues, quae Scipionem eius adducta studio sequebantur, commodiorem quandam euadendi rationem ostenderunt: quippe magno intervallo in mare anchoras iaciebant, ab iisq; longis funibus demissis, magno in hostes aut remorum aut undarum impetu ferebantur: praelio vero commisso, funes à puppi trahentes, nullo negotio recedebant: quas deinde secuti reliqui magna sanè detrimenta hostibus intulerunt. Eo praelio ad noctem dirempto, Carthaginensium naues, quotquot incolumes fuere, urbem petierunt. Scipio postridie mane Aggerem aggressus, quod opportunum id admodum portus propugnaculū esset, arietibus machinisq; multis admotis, partem muri deiecit. Ea re compulsi Pœni, quamq; omnib. defessi malis, rei etiam frumentariae ad summam inopiam adducti erāt, nocte è muris ad machinas Romanorum incendendas erumpūt: cum autem propius ad eas accedere nequirēt, omni aditus terra mariq; praesepto, nudi, facibus extinctis, ne cōspecti praenirentur, pleriq; natantes exierūt,

ad easq₃ delati ignem intulerunt. Re à Romanis percepta, fit proelium atrox, cum ab utraq₃ parte multi & vulnerarentur & caderent. Pœnorum autem virtus incredibilis, atq₃ animi magnitudo summa fuit: quorum cum in ora pectoraq₃ aduersa, gladij essent telaq₃ multa coniecta, non antè tamen pugnare destiterunt, quàm aut opera succensa, aut pulsos loco Romanos conspexerunt. Turbatis ex hoc tumultu rebus, cum trepidatio in castris Scipionis orta esset, qualis numquam antea extitisset: ille cum equite accurrens, ac terrorem mortis illis iniiciens, qui terga dedissent, plurimos conseruauit. Romani totam noctem armati traduxerunt, hostium maximè desperatione permoti: Pœni incensis operibus Romanorum in urbem se recipiunt: postridie murum, qui labefactus erat, instaurant, turresq₃ super ipsum multas edificant. Romani cum alias machinas comparant, tum aggerem validissimum contra turres hostium extruunt: ex quo cum faces emittere instituisent, hostes loco depellunt, eosq₃ persequi fugientes incipiunt:

cipiunt: verum cum ingressum cruore ac limo
 terra madefacta non sustineret, haud ita mul-
 to post desinunt. Aggere Pœnorum potitus
 Scipio, eum fossa & muro lapideo sepsit, ac
 quatuor hominum millibus firmavit, qui in
 hostes sagittas, ac iacula contorquerent. Ine-
 unte hieme cum plurimos esse in ea regione Sci-
 pio comperisset, qui Pœnos commeatus, cete-
 risq; rebus iuvarent, quin eos de medio tolleret,
 haud sibi dubitandum putavit. Itaq; aliis in
 alias partes dimissis, ipse in Diogenem, quem
 Asdrubalis rebus favere didicerat Nepherim
 versus per stagnum, Lelio terrestri itinere cir-
 cummisso, contendit. Ut vero eò peruenit,
 castra duobus stadiis longè à Diogene posuit,
 & Gulussam ibi, ut eum quiescere non patere-
 tur, reliquit, ipse modò Carthaginem, modò
 Nepherim petens, tanti belli molem magno
 consilio, nec minori animi præsentia sustine-
 bat. Duabus turribus ad Nepherim colla-
 psis, locum insidiis datum arbitratus, mille
 delectos homines in insidiis post Diogenem lo-
 cat, tria millia à fronte constituit, quibus cum
 F 3 ipse,

ipse, qua turres prociderant, ascendit, non conferta multitudine stipatus, sed per partes agmen ducens, ne priores loco moti aliis subsequentibus terga darent. Cum clamore ac strepitu Romanorum omnia personarent, Afris ad pugnam concurrentibus, ij, qui à tergo dispositi erant, ut mandatum eis fuerat, vallum audacter, ne suspicante quidem quoquam inuadunt, atq; transcendunt. Quare Afri percussi, cum multo plures hostes, quàm quos conspiciantur, adesse putarent, in fugam conijciuntur. Ex contraria parte Gulussa, magna Numidarum manu, & præterea elephantis instructus, eos adortus, cadem ingentem facit. Eo prælio ad septuaginta millia hominum cum inutilibus cæsa esse dicuntur, ad decem millia capta, circiter quatuor euasisse. Capta Nepheris est post duos et viginti dies, quàm obsideri à Scipione capta est, cum multa ibi incommoda hibernorum difficultate temporum pertulisset. Qua victoria complures præterea Libya urbes ad eum defecerunt, ipse vehementer ad Carthaginem expugnandam accensus est: cuius rei

ius rei

ius rei causa prorogatum ei in alterum annum imperium fuerat. Itaque cum Pænorum opes in dies magis minuerentur, quod neque ex Libya, qua tota ferè in eius potestatem concesserat, neque mari, aut propter Romanorum presidium, aut propter minus idoneum ad navigandum anni tempus, commeatus quidquam subueheretur, Byrsam arcem, ac portum cognomento Cothonem aggredi statuit: quod putabat, eo propugnaculo superato, presidioque deiecto, reliquas se urbis partes in suam potestatem esse nullo negotio redacturum. Id presentiens Asdrubal portus partem nocte succendit. Dum autem cum omnibus Pænis in eam partem intentus, Scipionem cum suis eadem irrupturum confidit, interim C. Lælius à tergo per ambitum Cothonis nauibus circumuectus ex altera parte longè aliter, quàm Pænis putauerat, magno clamore sublato, impressionem facit. Romanorum vim Pæni etsi primum pro viribus propulsare conati, cum diuturnitate inedia læguentes diu sustinere non possent, in omnes partes passim fugam capessunt: eos fugientes insecutus

Scipio

Scipio partim cecidit, partim cepit: pauci in urbem se conijcientes vix mortis periculum evitarunt. Scipioni Cothonis muro potito cum Polybius suaderet, ut circa mœnia murices ferreos spargeret, aut vadis tabulas cuspidib⁹ prefixas subijceret, ne subita hostis eruptione in eius procurrere munitiones posset, ridiculè se facturum esse ille respondit, si propè partiam, atq₃ explorata victoria, rationem quæret, ne cum hostibus dimicaret: neq₃ vero eisdem esse, capere aliquos velle, ac timere. Post hæc quod & nox suberat, & ipse militibus ex superiore totius diei labore fatigatis, parum se proficere posse intelligebat, sub armis tota nocte quieuit. Ubi illuxit, cum se per muros urbis, qua parte ceciderant, intulisset, urbem, frustra renitentibus Pœnis, ingreditur cum grauioris armaturæ militum quatuor millibus, qui, cum in templum Apollinis introijssent, aureum simulachrum eius, & inauratos parietes expilarunt. Quam eorum audaciam adeo persecutum Apollinem esse crediderunt, ut, qui aureum ei amiculum detraxerat, eius manus haud

haud ita multo post abscissa inter fragmenta
 reperta sint. Ti. Gracchus cum C. Fannio mu-
 ros urbis primus ascendit, cum esset Scipionis
 uxoris frater, idemq; in eo bello contubernalis.
 Irruptione Romanorum in urbem magna
 Carthaginiensium pars in arcem confugerat,
 Et ex ea pugnabat. Eam cum Scipio adoriri
 statueret, tres ad illam à foro ducere vias in-
 ueniebat, quæ frequentibus atq; altis ciuium
 edificijs undequaq; erant instructæ. Cum
 autem quantum subire periculum posset, si ea
 ingrederetur, animaduverteret; hoc consilij cœ-
 pit: prima edificia sibi occurrentia occupat,
 hinc ad proximas ades lignis asseribusq; trās-
 missis viarum interuallo coniungit, ac per ea,
 tamq̃ per pontes ingreditur, alijs, ut prælium
 in vicis cum obuio quoq; misceant, imperat.
 Quo fiebat, ut omnia clamore, gemitu, ac la-
 mentationibus explerentur, cum alij ferro in-
 terea caderentur, alij è tectis præcipites ageren-
 tur. Ubi vero ad arcem peruenit, tum tribus
 partibus illato incendio, reliquis in urbem ex-
 ercitus accersitus est. Urbis interea ipsius
 G misera-

miserabilis inprimis ac teter aspectus erat, cum aedificia alia flammarum incendio deflagrarent, alia vi atq; impulsu hominum, ingenti cum fragore ac strepitu prolabantia, secum pueros, mulieres, senes, ceteramq; turbam, qui pauore se intra tecta coniecerant, aut semianimes, aut saucios, aut incendio afflatos, attraherent. Quin etiam fabri, ceteriq; qui iussu Scipionis ad aperiendum militibus iter immisi erant, rem multo etiam acerbiozem reddebant, cum interim fossas, reliquaq; depressa urbis loca mortuis, uiuentibusq; sine discrimine replerent. Atq; hac quidem sex dierum spatiogesta sunt. Scipio autem, ne milites diuturno labore defatigarentur, munera partito exercitu permutauit, cum ipse quotidie rebus omnibus, vix aut somnum aut cibum capiens, interesset. Tandem vero labore confectus excelsa quodam in loco consedit, ex quo facile omnia, quae gesserat, circumspicere poterat. Interea qui in arce erant, urbis euerfione, ac deorum ira percussi, cum se in extremum omnino casum adductos, nullamq; spem salutis

salutis sibi reliquam esse viderent; legatos ad Scipionem de deditioe miserunt. Qui ad eum profecti velamenta supplicum, Æsculapij ritu, cuius è templo descenderant, porrigen- tes, seq₃ ad eius pedes abijcientes, fidem ac mi- sericordiam eius implorare cœperunt, inpri- misq₃ eum orare, ut sibi vel iniquissima con- ditione exire ex arce permetteret. Omnibus præterquam fugitiuis, ac transfugis exeundi potestate à Scipione facta, patefactis arcis portis, ex templo ex ea se hominum ad quin- quaginta millia eiecerunt: primum agmen mulierum inprimis miserabile fuit ad XX. millia, alterum virorum ad XXX: transfuga autem, qui ad nongentos fuerunt, cum propter impositum arci præsidium locum non esse eruptioni viderent; se in Æsculapij tem- plum cum Asdrubale, & uxore, ac liberis eius contulerunt, atq₃ ad pugnam ex eo loco se in- instruxerunt. Post hæc omnibus ad salutis desperationem adductis, Asdrubal paulatim se suorum è concilio subducens, cum sibi extre- mis saltem urbis temporibus quoad posset,

consulendum putaret, supplex ad Scipionem
 è templo confugit. Eum humaniter acceptum,
 atq; ad pedes suos sedere iussum, Scipio trans-
 fugis conspiciendum proposuit. Transfuga
 primum habuere silentium, spectaculi novi-
 tate permoti: deinde viri perfidiam voce
 maxima criminantes, desperatione acti in
 templum incendium intulerunt, ac sese in
 illud continuo coniecerunt. Asdrubalis ux-
 orem memoria proditum est, cum paullo antè
 integris rebus à marito, ut se ad victorem
 conferret, impetrare non potuisset, hoc tempore
 se, quantum per arumnas licuit, exornasse,
 liberisq; tribus paruis ante se constitutis hæc ex
 arce cum audiente Scipione locutam esse: Iam
 iram profecto tuam explesti, Scipio, cum Car-
 thaginienses deuiceris, Asdrubalemq; ipsum,
 qui tibi vnus capiendus relinquebatur, ha-
 beas in potestate: de eo tu quidem, ut libebit,
 utq; nostra fortuna conuenit, statuito, qui con-
 iugem, qui liberos, qui templa, qui patriam
 prodidit suam. Inde ad Asdrubalem conuer-
 sam addidisse: Tu vero, sceleratissime ac per-
 fidissime

fidissime hominum omnium, quandoquidem
Carthaginis imperatorem te fuisse gloriaris,
cur non huic, propter quem sedes, pœnas per-
soluis? me quidem certè, ac liberos meos hodi-
erno die hæc flamma conficiet: atq; his rebus
dictis filios eam suos interfecisse, seq; cum iis
in ignem medium iniecisse, Asdrubalem post
sibi necem consciuisse, proditum est. Urbs in-
terea decem ac septem dies incendio conflag-
rauit. Quam quidem per septingentos fer-
mè annos, postquam condita fuerat, rebus o-
mnibus floruisse, ac plurimum terra ac mari
potuisse, eandemq; nauibus, armis, uiris, opi-
bus nulli cessisse, audacia uero ac fortitudine
cuium longè ceteras superasse, cum memoria
Scipio repeteret, nunc autem eandem fame,
ferro, igniq; vastatam intueretur, humana
conditionis ac fortuna misericordia, Et
quadam quasi religione tactus, vehementer
illachrymauit: cumq; inde paulisper esset in
tam tristi cogitatione versatus, tum demum
Homeri uersum pronunciauit: Iamq; dies
aderit, quo concidat Ilion ingens, Et Priamus,

Priamiq³ cadat plebs arripotentis. Quarum
vocum rationem querenti Polybio, hæc ea-
dem ne aliquando Romæ acciderent, se vereri
respondit. His rebus gestis nauem spolijs or-
 natam Romam nunciatum victoriam misit,
 itemq³ in Siciliam alias, quæ Siculis nunciaret,
 ut iam tandem, quæcunq³ sibi superioribus
 bellis Carthaginienses eripuissent, recupera-
 tum venirent. Narrat Cicero, Scipionem con-
 vocatis Siculis omnibus, quod diutissime, sepi-
 simeq³ Siciliam vexatam à Carthaginiensibus
 esse cognosset, omnia conqueri iussisse, simulq³
 pollicitum illis esse, magnæ sibi curæ fore, ut
 omnia ciuitatibus, quæ cuiusq³ fuissent, re-
 stituerentur: tumq³ alia, quæ quondam fuerant
 Himeræ sublata, Thermitanis esse reddita,
 alia Gelensibus, alia Tyndaritanis, alia A-
 grigentis, in quibus fuerit signum Apol-
 linis pulcherrimum, Myronis arte confe-
 ctum, ac nobilis ille Taurus, quem Pha-
 laris habuisse dicebatur, & Dianæ simula-
chrum quoddam ex ære cum summa atq³ an-
tiquissima præditum religione, tum singulari
 opere

opere artificioq; perfectum. Quibus rebus administratis sacrificia ludosq; fecit, ac fugitivos, quoscunq; nancisci potuit, bestiis dilaniandos obiecit. Prædam vero omnem militibus præter aurum, argentumq;, & insignes statuas dispartivit: omnibus laborum præmia largitus, illis, qui templum Apollinis spoliarant, exceptis: inde arma, equos, machinasq; inutiles more patrio discinctus, Marti Palladiq; sacras incendit. Adiicit Plutarchus, eum ex præda neq; seruum, neq; libertum sumere, aut emere cuiquam permisisse, cum omnes passim prædarentur atq; diriperent. Romæ interim ingens gratulatio orta: supplicationes, sacrificia diis immortalibus facta: ludi ac certamina edita: Scipio in cælum laudibus latus, qui populum Romanum ingenti cura ac diuturna liberauisset, eumq; verè orbis terrarum dominum deleta Carthagine reddidisset: Decem legati à senatu missi, qui Africam cum Scipione constituerent, uti è republica, fideq; sua esse censerent. His mandatum est, ut si quid superesset urbis, disturbarent: quæ
civi-

ciuitates Pœnis studuissent, earum vrbes euerterent: quæ pro se stetissent, præmiis eas agrisq; donarent. Quibus rebus perfectis Scipio, consecrato demum de consilij sententia vrbis Carthaginis solo, atq; Africa in prouincia formam redacta, exercitum Romanum deportauit: habitaq; de rebus gestis oratione, splendissimū de Pœnis & de Carthagine triumphum egit, quippe argento, auro, statuis, omnibusq; monumentorum generibus ornatissimum, quæ Pœni superioribus temporibus ad se ex omni ferè terrarum parte transtulerant: argenti quater millia, quadringenta & septuaginta millia pondo prelata. Cum autem vrbis opulentissima compos factus vnus præter ceteros imperatores milites maximè suos ditasset, tanta tamen abstinentia fuit, vt nihil in domum suam conuerterit, Africani tantum cognomine ex victoria illa contentus, quod item fuerat adoptionis beneficio hereditarium consecutus.

Quibus rebus factum est, vt nomine Scipionis neq; grauius iam quidquam esset in ciuitate,

Continetur Scipionis.

uitate, neq; illustrius. Etenim quamquam
 aequales habebat virtute admodum atq; nobi-
 litate praestantes, L. & Sp. Mummius,
 Q. Metellum, L. Furium, C. Lelium,
 P. Rupilium, ac Q. Pompeium: postremos
 tamen cum populari studio, tum rerum gesta-
 rum magnitudine anteibat: L. autem
 Mummius, qui iisdem temporibus consul
 res maximas excisa Corintho gessit, longè
 vicit humanitate, atq; elegantia morum.
 Nam Q. Metelli, qui adhuc praetor tantum
 fuerat, res in Macedonia gestae, haud quaquam
 cum rebus Scipionis erant conferendae. Eam
 ob causam accidit, ut ipse L. Mancini fa-
 ctum periniquo animo ferret, qui, quo die ipse
 de Carthagine triumphauit, non tam Cartha-
 ginis situm, in quam ille prior irruperat, quam
 oppugnationes eius pictas in foro proponens,
 atq; spectanti populo singula exponens, ea co-
 mitate consulatum erat adeptus. Sententiam
 autem eius in senatu plurimum valuisse, ex eo
 intelligi potest, quod Ser. Galba, & L. Cotta
 consulibus post biennium in senatu conten-
 denti-

H denti-

dentibus, uter aduersus Viriathum in ulteriore Hispaniam mitteretur, rogatus ipse sententiam, cum neutrum eorum mittendum esse censuisset, quod alterum nihil habere, alteri nihil satis esse assereret, eo dicto effecit, ut neutri prouincia mandaretur.

Postero anno à senatu legatus, ad regum & gentium animos perspiciendos, est missus. Neq; vero ignoro Valerium scripsisse, eum ad hunc honorem post duos consulatus, duosq; triumphos euectum: sed me magis Ciceronis auctoritas mouet, qui Scipionem legationem hanc obiisse ante censuram scribit: cuius mittendae haec causa fuit. Vexabat maria omnia ingens piratarum Cilicum multitudo, magnas tum incredibili regum Syriae ignauia vires natae, tum noua quadam seruorum exportandorum licentia: quos ipsi eo etiam auidius rapiabant, quo Romani post Carthaginem, & Corinthum euersas, opulentiores & deliciae tiores effecti, ad eos mercandos in Delum frequentius multo, quam antea, veniebant: ubi mercatus erat totius Graeciae celeberrimus, & prado.

P. SCIPIO AEMILIANVS.

61
predonibus ad ipsa comportanda mancipia
commodissimus. Creuerat autem eorum etiam
numerus, quod Ægypti reges, Syris inimici,
illorum arma fouebant, Rhodij vero non pro-
hibebant. Hanc igitur ob causam Romanis,
quamquam non admodum eorum, qui ultra
Taurum regnarent, potentiam metuentibus,
visum est legatum P. Scipionem cum Sp.
Mummio & L. Metello in Ægyptum,
Syriam, Asiam, & Graciam mittere, ut so-
ciorum regum, ciuitatumq; erga se voluntates
& animos explorarent. In ea legatione in-
credibilis atq; diuina quedam Scipionis est
abstinentia cognita, qui paucissimis stipatus
seruis tam longo itinere se commiserit: apud
alios septem, apud alios quinque reperio:
his unum etiam preceptorem Panetium,
pleriq; ascribunt, alij C. Lelium pro Panetio
nominant: sunt etiam, qui adijciant,
ex quinque seruis cum unus in itinere de-
cessisset, alium eum Roma confestim, ne sibi
in emendo seruo sumptus faciendus esset, ac-
cersuisse. Huic autem Alexandriam in-

troëunti Ptolemaus rex is, qui Physcon est dictus, obuiam egressus risum maximum dicitur exciuisse: nec sine causa. Erat enim ore deformi, & statura corporis parua, & sagina ventris non homini, sed belluæ similis: quam fœditatem nimiam tenuitas etiam vestis eius augebat, cum ea populo imprudentius indicaret, quæ verecundo homini velanda inprimis fuissent. Eo vero agrè propter corporis mollitiem incedente, ac raro in publicum prodeunte, Scipio in aurem Panætio: Iam Alexandrini fructus, inquit, aliquid ex aduentu nostro ceperunt, quod nostra causa regem suum in publico ambulantem viderunt. Ut autem Ptolemaus Romanis risum, sic contra Scipio admirationem Alexandrinis mouit. Itaq; magno ad eum concursu facto, quod eius oculis intuendi cupidissimi essent, de cuius virtute multa antè auribus accepissent, ubi nauis egressum forte, capite inuoluto prodeuntem viderunt, omnibus ab illo precibus, ut capitis inuolucra dimoueret, atq; optatissimum os sibi suum ostenderet, contenderunt, suiq;

suiq; demum voti compotes facti, clamore cum
ac plausu maximo uniuersi consalutarunt.

Metello vero & Maximo consulibus
ille censuram gessit: in eo magistratu competi-
tores habuit L. Mummius, de quo antè dixi-
mus, & Ap. Claudium, qui superiore anno
consul fuerat, quo cum ipsi, quia ambo in pa-
tricij locum petebant, omnis contentio inter-
cessit. Cum autem censoria comitia haberen-
tur, Scipioni popularium turba suffragabatur,
Appium optimates deducebant, quibus Clau-
dia gens plurimum, omni tempore studuit.
Itaq; ut Scipionem Appius hominibus abie-
ctissimis, & obscurissimo loco natis stipatum
venire in forum vidit; magna voce: O
Paulle Æmili, inquit, nonne si quis apud
mortuos sensus residet, grauissimè stomacha-
ris, quod filium tuum præco Æmilius, et rabu-
la Licinius ad censuram deducant? Paullus
enim Scipionis pater etsi plebi deditus fuerat
maximè, numquam tamen à patribus descie-
uerat, neq; plebis gratia quidquam aut dixe-
rat aut fecerat umquam, quo popularis vide-
retur,

retur, sed ita optimatum partes amplexus erat, ut non minus plebi iucundus esset, quam qui esset summopere popularis. Eam ob rem cum accensis utrinque animis in contentionem quandam virtutis officijque venissent, atque Appius audiente Scipione gloriose in campo dixisset, singulos se ciues nominatim sine nomenclatore salutare, quos Scipio ne de facie quidem nosset: Verè narras, inquit hic. Ego enim, non ut multos cognoscerem, sed ut nemini ignotus essem, elaboravi. Petebat autem et ipse à ciuibus, ut, cum ambo in bello Celtiberico stipendia meruissent, ex legatorum ac tribunorum militum, qui ei bello interfuissent, testimonio, merito premio utrumque decoraret. Ita Appio deiecto cum L. Mummio censor est declaratus: quo in magistratu facile maiorum suorum laudi virtutisque seueritatis opinione respondit. Primum enim equum iuveni cuidam ademit, qui, cum opipare eo tempore epularetur, quo Carthago oppugnabatur, libum urbis Carthaginis instar sodalibus diripiendum proposuit: cuius nota causam cum

quere-

quereret adolescens, quia me, inquit, in expu-
 gnanda Carthagine anteuertisti. An vero hic
 Ti. Claudius Asellus fuerit, parum liquet.
 Claudium certè Asellum, constat equo ab eo
 fuisse spoliatum, arariumq; relictum. Idem
 tribus alium mouit, quod cum esset patris Paul-
 li centurio in Macedonia, in prælio non affue-
 rat: eo se custodia causa in castris remansisse
 dicente, quarenteq; à Scipione, cur notaretur:
 quia non amo, inquit, nimium diligentes. Cum
 in equitum censu C. Licinius Sacerdos citatus
 prodisset, clara voce, ita ut omnis concio au-
 dret, dixit, se scire, illum verbis conceptis pe-
 ierasse. Itaque si quis contra dicere vellet,
 usurum esse eum testimonio suo, nemine
 contra dicente: Traduc equum, inquit, Sa-
 cerdos, ne ego in te videar accusatoris si-
 mul, & testis, & censoris, & iudicis partes
 egisse. Quin etiam orationem idem habuit
 ornatissimam, qua populum ad mores maio-
 rum suorum imitandum hortatus est: in
 qua inter cetera, quæ ex presentibus mori-
 bus improbauit, hoc etiam posuit, quod filius
 adopti-

adoptiuus patri adoptatori inter premia pa-
 trum prodesset. Non prætereundum et. am-
 illud, quod cum M. Fuluius censor pilas pon-
 tis in Tiberim locasset, ipse cum Mummiio iis
 pilis fornices imponendos locauit. Lustrum
 alij à Mummiio, alij ab ipso conditum prodide-
 runt. In eo vero condendo eximiam modera-
 ti in primis animi laudem tulit. Etenim cum
 in solito, ut inquit Valerius, sacrificio scriba ex
 publicis tabulis solenni preces carmine
 præiret, quo dij, ut pop. Romano res meliores,
 amplioresq; facerent, rogabantur: satis, in-
 quit hic, bonæ ac magnæ sunt: itaq; precor po-
 tius, ut eas incolumes seruent: atq; ita in ta-
 bulis publicis corrigi iussit. Cuius auctorida-
 tem secuti deinceps ceteri eandem in condendis
 lustris verecundiam votorum, adhibuerunt.
 In eo vero malè audiuit, quod Mummiio col-
 legæ parum amicus fuisse visus est: siquidem
 & in dedicatione ædis Herculis cum epulum
 splendide apparauisset, amicos omnes præter
 Mummiium inuitauit, & abiens magistra-
 tu pro rostris dixit, se ex dignitate reip. omnia
 fuisse

fuisse gesturum, si Quirites sibi collegam vel aliquem, vel omnino nullum dedissent.

Cum autem censura abiisset, dies ei dicta est ad populum ab Asello tribuno pl. eo, cui ipse equum censor ademerat: quo in iudicio tanta constantia fuit, ut neq; barbam radi desierit, neq; solito cultu reorum fuerit: tantam facultatem adhibuit, ut accusatorem ipsum facile, cum breuibus dictis aliquot, tum perpetua oratione abiecerit. Nam præter cetera cum ille lustrum infelix obijceret: noli mirari, inquit: is enim, qui te ex arariis exemit (hic autem fuerat Mummius) lustrum condidit, & taurum immolauit. Lepido autem et Mancino consilibus, à multis est hominibus improbatus, quod M. Antium Brissonem, qui ope Lepidi consulis legi Cassiæ tabellariæ repugnabat, de sententia auctoritate sua deduxerit. Quin etiam in eo à multis est reprehensus, quod cum decretum à senatu fuisset, ut L. Mancinus consul cum quaestore Ti. Graccho, qui Numantini fœderis principes fuissent, nudi hostium dederentur; Gracchum uxoris suæ

I fratrem

fratrem ea deditioe exemerit; Mancinum vero, cuius intimè familiaris erat, dedi permiserit.

Ceterum bellum hoc populus Rom. multis antè annis cum Celtiberis gerebat: iamq; omnes in potestatem, ditionemq; concesserant, unistantum Numantinis exceptis, qui arma magno conatu retinebant, ac multo maiore inferebant. Nam cum Q. Pompeium, P. Lentem, L. Mancinum, & M. Lepidum consules, aut cum exercitu fudissent, aut in angustum locum perductos turpissimis secum pacisci conditionibus coëgissent, ac Piso consul tamq; ad superiora damna resarcienda profectus, agros tantum Numantinorum, regionemq; Pallantinorum depopulatus in hiberna exercitum deduxisset, populus Rom. belli diuturnitatem ac turpitudinem indignatus, Scipionem, spectata tot in bellis virtutis ac prudentie ducem, ad id bellum mittere statuit. Cum autem consul iterum, lege id vetante, creari non posset, legibus, ut antè, cum ne tum quidem peteret, atq; adeo etiam absens esset, solutus est. Factus ergo magna

gna

gna populi voluntate, maiore reip. ab eo bene
 gerenda spe Scipio consul, ac bellum Numman-
 tinum extra sortem gerere iussus, continuo a-
 nimum ad belli necessarios apparatus inten-
 dit. Igitur diffidens veteri exercitui, cuius
 ignavia saepe male antè pugnatū esse non igno-
 rabat; alias praterea sibi copias comparan-
 das, auxilia undiq; colligenda, arma, tela, e-
 quos et cetera instrumenta militia expedienda
 putat: in delectu autem habendo neminem ex
 veteribus legionibus sumit, quod alio bello de-
 tinerentur, verum novos milites omnes con-
 scribit. Cum autem Italicis frequentes, studio
 atq; amore ipsius, ad id bellum nomina darēt,
 senatus, veritus ne proprio Italia presidio nu-
 daretur, non solum id eos vetuit facere, sed
 ne pecunias quidem ex preparatis Scipionem
 passus est sumere, verum annuas pensiones,
 quarum exigendarum nondum venerat tem-
 pus, attribuit. Quorum alterum Scipio, quod
 ad stipendium in bellum suppeditandum perti-
 nebat, minimè se indignè dixit ferre, quod su-
 as et amicorum suorum facultates putaret ad

id bellum sustinendum satis multas futuras: de altero vero, quod milites Italiae fortissimos secum ad bellum difficillimum educere vetabatur, senatum leuiter reprehendit. Quare consensu eius multos, qui vltro nomina profitebantur, quos reges ciuitatesq; miserant: ac praeterea clientes amicosq; quingentos conscripsit. Atq; his ac reliquis necessariis rebus apparatus partem exercitus ad quatuor millia hominum fratri Fabio tradidit: ipse ante eum quam maximis itineribus potuit, cum paucis in Hispaniam in castra ire contendit. Eo cum venisset, non protinus hostes adortus est, ut eos tamq; incautos imparatosq; circumueniret: quod exploratum haberet, numquam eos homines ocio adeo luxuriaq; diffluere, ut non ipsa naturae ferocitate apparatus aliorum facile superarent. Verum cum acceptum à Pisone exercitum ita incontinentem, imbellemq; factum esse intelligeret, ut nihil se talibus moribus è maiorum dignitate gerere posse confideret; non ante sibi bellum attingendum est arbitratus, quam presentem intem-

intemperantiam ad antiquam continentiam
 reuocasset, ac milites more maiorum laborare
 coëgisset. Itaq; edixit primum, ut institores,
 & scorta, quæ ad duo millia in castris erant,
 atq; omne genus ariolorum, quos milites præ-
 teritis exanimati cladibus ad futuros casus
 præcipiendos adhibebant, è castris excederent,
 ac ne quis victimarum exta rerum futura-
 rum cognoscendarum causa inspiceret, & ne
 aut in castris, aut in agmine seruum quisq;
 aut iumentum, aut lixam haberet: ad hæc va-
 sa omnia, præter ollam, & uerum, & fictile po-
 culum, & argenteum haud duabus libris gra-
 uius, haberi prohibuit: utq; crudo obsonio stan-
 tes in prandio, pane autem vel pulte, & carne
 assa, vel elixata discumbentes in cæna vesce-
 rentur, edixit: militem lauari uetuit, aut un-
 ctum ab alio confricari, quod mulos aliaq; iu-
 menta diceret, quia manus non haberent, al-
 terius opera indigere. Cum Memmij tribu-
 ni militum iumenta gemmatis uasculis, &
 Thericleis onusta intercepisset: tu mihi, inquit
 aliquantisper, at tibi, & patriæ in perpetuum

nequam eris. Alio clypeum ornatissimum ostentante: scutum, inquit, adolescens, ornatum est, sed Romanum virum decet dextra fidere magis, quam sinistra: neq; vero se illius in eo exornando diligentiam admirari adiecit, cum in clypeo, quam in gladio, plus praesidij collocaret. Quin etiam lectulos sustulit, primusq; ipse in stramentis cubuit: militesq; equum in itinere vetuit ascendere, nequissimum eum appellans, qui suis pedibus ingredi non posset. Neq; tamen cum satis continentem se reddidisse illos arbitraretur, cum hoste sibi adhuc decertandum, sed variis eos ante in operibus exercendos putabat. Itaq; quotidie transversis itineribus exercitum ducebat, & castra mouebat, militesq; nunc altissimos muros struere, nunc deturbare, modo novas fossas ducere, modo veteres implere iubebat, cum interim fodientes diceret luto inquinari debere, quos maderere hostium sanguine oporteret. Eam ob rem iumenta omnia, ne milites onere leuarentur, vendiderat, eosdemq; in itinere triginta dierum frumentum, ac septenos vallos ferre coge-

cogebat, ita ut frigora & imbres pati, ac vada fluminum tranare pedibus assuescerent. A grè propter onus incedenti dicebat: cum gladio rectè vallare didiceris, vallum ferre desinito. Eo se nimio pondere premi querente: merito, dicebat: huic enim ligno magis, quàm gladio fidis. Quendam scutum nimis aptè mouentem, aliud amplius grauiusq; iusto ferre coëgit: rogatusq; cur id faceret: quia tu melius, inquit, scuto, quàm gladio uteris. Quin etiam à laborantibus militibus numq̃ discedebat, pulloq; indutus sagulo castra obiens turpitudinem se militum suorum lugere dicebat. Iter faciens quadrato agmine incedebat, ne, ut ceteris antè acciderat, ab hostibus imparatus opprimeretur: in agmine vero modò in primis, modò in postremis, modò in medio aderat, ut omnes in officio contineret: quem extra ordinem deprehendisset, si Romanus erat, vitibus, si socius, virgis cadebat: agrotos in equos imponebat: mulos nimio onere pressos lenabat, partemq; oneris peditatui dabat: sua cuique munera distribuerat, ut certi essent,

essent, qui excubias agerent, qui fossas facerent, qui vallum iacerent, qui muros struerent, qui tentoria locarent. Hunc igitur in modum cum ueteres milites ad pristinam continentiam reuocasset, ac laborum patientes reddidisset, ineunte aestate Numantiam uersus castra mouit. Erat autem eius hoc consilium, ut nec nimis firma ad stationes loca deligeret, nec copias ullo modo diduceret: ne, si quid à principio detrimenti cepisset, ab hostibus, à quibus adhuc irridebatur, omnino contemneretur: nec praelio eos ultrò laceggeret, quod genus belli ac Numantinorum vires, quanta essent, non ignotas haberet: uerum frumenta illorum incenderet, & agros perpetuis populationibus deuastaret. Cum autem direptis agris castra propius urbem sibi putaret mouenda, duo esse itinera, quibus eò perueniri posset, inueniebat, unum angustum, atq; difficile, alterum quanquam aliquanto superiore longius, tamen multo & facilius & expeditius. Multis autem suadentibus, ut breuiorem uiam iniret, haud sibi parendum existimauit

mauit: quod timendum sibi diceret, ne si angustiore via exercitum duceret, repentinam in se hostes eruptionem facerent, iumentis, plaustris, & impedimentis reliquis implicatum, neq; ea de causa satis vel ad pugnandum vel ad pedem referendum paratum: quod si illi fecissent, sibi magno detrimento ac multorum virorum fortium morte, ipsam etiam victoriam constituram: duci autem prudenti in primis eius rei habendam rationem esse, ut numquam, nisi aut monente occasione, aut urgente necessitate certaret: neq; enim turpius quidquam in re militari posse contingere, quam si quid imperator eiusmodi commisisset, ut sibi dicendum esset: non putaram: quod re diligentius explorata & agitata, qua ferro agerentur, opus esset administrari: quod ipsum medicorum confirmabat exemplo, qui non ante ad vrendum, aut secandum membrum adducerentur, quam experti essent, quid proficere medicamentis possent: hisq; rebus dictis simul tribunis militum imperat, ut longiore itinere agmen ducant, atq; ita exercitum in fines

K

Vaccæ.

Vaccæorum perducit. Ibi frumento, quantum plurimum potuit, coacto, omne, præterquod quod sibi necessarium futurum esse arbitrabatur, incendit. Cum autem in Vaccæis morans quosdam Pallantinorum equites sub Coplani collibus in insidiis latentes sensisset, in suos sæpe, quoties frumentatum exirent, impetum facere; Rutilium Rufum tribunum militum cum delecta equitum manu ad eorum incursiones continendas immittit. Is cum ad manus cum Pallantinis venisset, illud fecit imprudentius, ut eos terga dantes usque ad collem insequeretur: quo postquam peruenit, patefactis insidiis, statim ille suis, ne hostem insequi aut adoriri contenderent, imperat, sed pilis tantum eum à se, quoad possent, propulsarent. Scipio autem interea, cum Rutilium longius, quam mandatum fuerat, studio pugnandi progressum videret, quod euenerat, ne accideret, veritus, eum cum reliquo exercitu suo sequi cepit: cumque ad locum insidiarum venisset, equitatum in duas partes distribuit, eumque per partes signa in hostes inferre, iactisque

Etisq; iaculis gradum sensim referre, quoad se cum reliquis copiis coniungerent, iussit: atq; ita equites incolumes in campum reduxit. Moturus interim ex Vaccais castra, cum flumen ad traiciendum difficile in medio situm esse, ad idq; hostium esse insidias collocatas, audisset; priore itinere relicto, longiorem alteram viam, sed ab insidiis tutiorem ingressus est. Ibi aquarum inopia multos effodere puteos est coactus: in quibus plerisque cum aqua amarior inueniretur, pars iumentorum siti confecta est, homines vix incolumes euaserunt: atq; inde per fines Caucaorum in agrum Numantinorum hiemandi causa progressus est. Eo tempore cum rex Numidarum Micipsa pop. Romano equitum et peditum auxilia mitteret, Iugurtham Manastabilis fratris filium cum XII. elephantis misit: quem virum post & in amicis Scipio habuit, & ad res grauissimas periculosissimasq; adhibuit. Non pretereundum etiam hoc loco illud, C. Marium, qui postea septies consul fuit, ad huc adolescentem prima ad Numantiam sti-

K 2

pendia

Iugurtha

C. Marius 7.
Consul.

pendia imperatore Scipione fecisse: quo in bello cum præ se animi magnitudinem eximiam ferret, haud imperatorem latuit, quippe cuius in conspectu ferocissimum hostium quendam confecerit. Quare ab eo cum aliis honoribus multis, tum vero testimonio illo iudicij sui gravissimo est ornatus. Etenim cum forte quodam die post cenam sermo de imperatoribus incidisset, et ex ijs, qui aderant, quidam, siue consulto, siue casu, de Scipione quasisset, quem similem sui ducem pop. Rom. post se habiturum, putaret, Scipio leniter percusso Marij humero, huncce respondit. Hic enim præstanti, inquit, virtute vir erit, quod ea de se dat in adolescentia signa, ex quibus, qualis futurus sit, cum paululum ætate processerit, facile possumus augurari. Adde etiam, C. Gracchum Tiberij fratrem, & Lucilium poetam in eodem exercitu Scipionis stipendia meruisse: Rutilium vero Rufum et Sempronium Asellionem scriptores Romanæ historiae luculentos tribunos militum eidem imperatori fuisse, easque res, quibus ipsi interfuerunt, memoria prodidisse.

Cum

Cum autem Scipio prorogato sibi in alterum annum imperio studium omne in populando ac vastando Numantino agro collocaret, accidit, ut quodam die ad pagum nescio quem, valle rupeq; altissima cinctum, rem cum Numantinis prosperè, quamquam omnino aliud cogitans, gesserit. Etenim cum magna pars militum pago, equites autem nonnulli agris diripiendis essent intenti, ab hostibus, qui non procul à pago in insidiis subsederant, circumventi, vix satis firmi ad se tutandum esse videbantur, nisi properè Scipio ad signa, quæ extra pagum fuerant relicta, consistens, suis repente per tubicinem euocatis, equitum auxilio succurrisset, atq; hostes turpiter fugere coegisset, quos tamen haud longius persecutus, se intra munitiones suas paucis ab utraq; parte desideratis recepit. Atq; ita quidè Appianus. Paulus tamen Orosius, cum partem æstatis, inquit, totamq; hyemen ne tentata quidem pugna transégisset, hoc illum demù profecisse, quod ubi pugnandi copia facta est, Romani impetu Numantinorum oppressi cum terga

vertissent, increpatione minisq; imperatoris erecti, conuersis signis hostem fugarunt. Quare cum Numantinorum seniores suos obiurgarent, quod quos antea saepe fugassent, eos, nunc fugissent: non est, cur quisquam hoc miretur, inquit iuuenis quidam: quia pecudes adhuc eadem sunt illae quidem, quae antea, sed pastor est alius. Qua ex re quamquam magnam voluptatem Scipio cepit, tamen nihil inconsultè, ac temerè aduersus Numantinos audendum esse professus est. Post hæc cum bina castra ad Numantiam posuisset, quorum vnus ipse præerat, alteris fratrem Fabium preposuerat, accidit, ut à Numantinis sese ex urbe proripientibus saepe pugna prouocaretur. Ille autem cum iis haud esse certandum ratus, quos non ratio, sed desperatio in aciem incitaret, omnino prælium detrectabat: cum illud suum repeteret, bonum imperatorem nunquam ad ferrum, nisi ad extremum, ut medicum, oportere confugere: quin etiam à nonnullis propterea ut nimis tardus, ac prope somniculosus accusatus, respondit, se
à ma-

à matre sua imperatorem genitum esse, non
 militem. Ergo à prælio committendo abhor-
 rens, animum ad hostes obsidione premendos,
 atq; inedia et fame conficiendos intendit. Ea
 caussa fecit, ut litteras per omnes socias ciui-
 tates dimitteret, à quibus auxilia peteret.
 Quæ cum ad diem omnia conuenissent, urbem
 hoc modo circumuallare instituit. Primum
 copiis suis atq; auxiliis ciuitatum in multas
 partes distributis, ut totam undiq; urbem
 fossa valloq; cingerent, imperauit: cuius valli
 latitudinem ad pedes denos, altitudinem ad
 videnos perduxit: quod si ab incurrentibus ho-
 stibus opere forte prohiberentur, se interdum
 purpureo velo, noctu ignibus fieri certiozem
 iussit. His perfectis alteram fossam post hanc
 ducere cepit, & murum erigere, qui in altitu-
 dinem pedes decem, in latitudinem octo pate-
 ret: in eoq; turres, iugeri inter se intervallo
 distantes, excitauit: cumq; stagnum quod-
 dam cum mœnibus coniunctum muro sepi-
 re non posset, aggere valido circumdedit.
 Post autem cum fluum Durium per urbem
 laben-

labentem Numantinis commodissimum esse
 sensisset, tum ad commeatus comportandos,
 quos secundum nacti ventum paruis in ur-
 bem nauiculis inuehebant, tum ad homines e-
 mittendos, qui se undis obruentes foras enata-
 bant, omnino usum eius etiam eripere statuit.
 Eam ob rem, ubi propter ipsius latitudinem
 rapiditatemq; ponte iungi non posse animad-
 uertit; castella in utraq; ripa constituit, ab
 iisq; proceras trabes, firmissimis funibus u-
 trinq; sustentatas in aquam demisit, ensuum
 mucronib. circumfixas: quæ magno fluminis
 impetu circumductæ prohiberent, ne quis na-
 uigando, aut natando clam exire, aut introire
 posset. Ex quo Numantini inopia rei frumen-
 taria simul & consilij laborare ceperunt, cum
 nec quidquam necessarium in urbem liceret
 inuehere, nec, quid foris ageretur, ulla ratio-
 ne cognoscere. His rebus ita constitutis, su-
 per turres catapultas ad iacienda tela colloca-
 uit, omnibusq; non cohortibus solum, sed etiam
 centuriis funditores & sagittarios interiecit.
 In muris autem viros ex intervallos disposuit,
 qui

qui omnium, quacumq; gererentur, clamore edito, eoque inde ab aliis deinceps excepto & proximis tradito, certio rem se continuo facerent. Iis vero, qui in turribus erant, edixit, ut si quid sciri opus esset, id signo dato denunciarent: quæ vero certius à se cognosci oporteret, ea ut per nuncios indicarent. Præterea totum exercitum sexaginta millium hominum quadripartito diuisit: quorum alios promuris voluit excubare, alios in usus necessarios, si quo forte contendendum esset, reseruauit: viginti porro millia, quæ usu postulante pugnarent, totidemq; quæ si quid iis durius accidisset, subsidio essent, constituit, iisque locum suum cuiq; attribuit, ex quo decedere cuiquam iniussu suo prohibuit: quæ diligentia effecit, ut quoties hostes impetum fecissent, tum omnes, qui ad id parati erant, in eam partem, ex qua signum datum fuisset, se proriperent, eorumq; impressionem reprimerent: quoties vero muri custodias inuasissent (sepe autem modo ab una, modo ab alia parte id fecerunt) partim multitudine signorum, quæ ad ceteros

L

exci-

excitandos è turribus edebantur, partim aspectu eorum, qui summa cum celeritate accurrebant, tum nunciorum huc et illuc volitantium copia, tum fortitudine eorum, qui vallum murumq; defenderent, postremo tubarum, quæ bellicum è turribus canebant, altissimo perterriti sono, nihil omnino proficerent. Hac ergo ratione Scipio cum septos Numantinos teneret, putabat haud diutius obsidionem esse toleraturos: cum neq; virorum, neq; armorum, neq; annonæ quidq; iis posset ab ulla parte supeditari. Quod si qui forte aliquo modo urbe frumentatū exissent, eos tamen interfici vetabat, quod diceret, eo citius absumpturos eos frumentum, quod haberent, quo plures fuissent. Cum autem Numantini ita iam fame afflictarentur, ut longius ferre non possent, Rhetogenes quidam cognomento Carannius, vir spectatæ inter suos fortitudinis atq; virtutis extitit, qui periclitanti patriæ ultimis eius temporibus auxiliū ferre conatus sit. Is sodalibus quinque, quos in suam pertraxerat sententiā, totidemq; famulis atq; equis assumptis, noctis silentio, spatium

spatium illud, quod inter urbem et munitiones erat cum traiecisset, scalis secum allatis munitiones superat, ac custodes imparatos adortus, remissis famulis, equos, quos scalis subuexerat, conscendit, ac protinus singulas Arenacum urbes adit, simulq; eos docet, quanto res Numantinorum in periculo sint: videndum eis diligenter esse, ne similis ad eos casus recideret: optimam autem ad id rationem futuram, si cognata civitati maxime necessario tempore subuenirent. Hæc oratio nullius populi animos permouit, nisi Lutiensis: quæ civitas à Numantia quadraginta ferme millia passuum distat: cuius cum iuuentus omnis subsidio Numantinorum animis esset propensa, maiores natu veriti, ne quid prauis adolescentum consiliis detrimenti acciperent, confestim Scipionem certiozem faciunt. Ea de causa Scipio hora noctis octava magna manu sine impedimentis accurrit, & ante lucem urbem exercitus circumfedit, simulq; ut iuuentutis principes in potestatem sibi dederentur, postulauit. Cuius eos euasisse dicentibus, sese bello civitatem

L 2

perfe-

// *persequuturum demonstrat : qua de caussa traditi sunt ei iuvenes ad quadringentos, quibus cum prodendi exempli caussa manus praecidisset, extemplo motis castris Numantiam se recipit. Tum demum Numantini temporibus coacti sex ad eum legatos miserunt : quorum princeps Avarus laudata Numantinorum animi magnitudine, magnificè apud Scipionem loquutus, Numantinos se dedere ei paratos dixit, si tolerabilia imperarentur : sin minus, omnino se in acie interfici malle, quam non libertatem retinere, quam à maioribus accepissent. Scipio cum ex captiuis, quo statures in urbe essent, comperisset, veram sine ulla exceptione deditorem fieri, simul urbem, arma, ipsos atq; omnia sua fidei & potestati suae committi velle, respondit. Hac cum legati populo Numantinorum exponerent, quamq; non aliud à Scipione responsum expectabant, tamen ira incensi, libertatis amore ac presenti calamitate acerbius efferati, & de sua fermè potestate deiecti, Avarum, ceterosq; legatos, tantorum malorum nuncios interficiunt, suspi-*
cati,

cati, ne illi publica salute neglecta aliquid cum Scipione privatim de incolumitate propria pepigissent. Postremo ad id inopia omnium rerum venerunt, ut omnibus generibus ciborum deficientibus, ac fructibus, iumentis, herbisq; omnibus consumptis, lora, detrahasq; scutis pelles, ubi feruida mollissent aqua, comesse inceperint: quibus confectis se ad morientium hominum cadavera transtulerunt: cum interim egrotorum nullam rationem haberent, ac pro se quisq; quo plus posset, imbecilliori vim faceret: ad haec grauis eos etiam pestilentia inuaserat, quam diutina conclusio & mutatio victus, praeterea teterrimus cadaverum odor tota passim iacentium urbe vulgauerat: quibus illi victi ac superati malis tandem in potestatem Scipionis venerunt. Hoc tamen quemadmodum factum sit, aliter ab Appiano atq; à ceteris traditum est. Hos enim narrat ille diuturnis incommodis conflatos, consilium tandem se Scipioni dedendi cepisse, seq; horrido incomptoq; capillo ad eum supplices contulisse: Scipionem autem postula-

eorum auditis iussisse, ut eodem illo die arma
 constitutum quendum in locum omnia com-
 portarent, ipsi postridie in alium omnes conue-
 nirent: ea re audita Numantinos petiisse, ut
 diem sibi ad id faciendum produceret, quod
 adhuc in urbe non pauci essent, qui libertatis a-
 more sibi mortem adferre, vel ferro, vel fame,
 cuperent: quorum ubi alij sese alio modo in-
 teremissent, reliquos die tertio, ubi imperatum
 fuerat, in praescriptum locum se contulisse, de-
 formes, truculento aspectu, ac multo sordidio-
 re habitu, ita ut ea fortuna facile misericordi-
 am commouere in animis etiam hostium pos-
 sent: ex quibus cum paucos Scipio ad trium-
 phum seposuisset, reliquos sub hasta vendi-
 disse, urbemq; funditus euertisse. Appiano
 autem Strabo & Valerius assentiri videntur,
 quorum ille paucos cedentes muros tradidisse
 scribit, hic Scipionem urbem ingredientem
 multos reperisse ait, qui membra trucidato-
 rum corporum sinu suo vescendi causa gesta-
 rent. Sin autem Floro & Orosio credimus,
 Numantini cum eruptione facta extremum
 experi-

experiri auxilium statuissent, carne prius se-
 micruda & largiore portione sumpta se ingur-
 gitarunt, non vini, cuius is locus minime fe-
 rax est, sed succi tritici artificiosè collecti,
 quam *Celiam* incolæ vocant. Scipio eorum
 consilio cognito haudquaquã pugnandi copiam
 fecit. Id agrè primùm Numantini tulerunt,
 quod sibi nec patriam defendere, nec
 gloriosam mortem pugnando liceret oppetere:
 deinde vero cum repentina eruptione, si quid
 extremis proficere temporibus possent, tentare
 decreuissent, ex improviso Romanos inuase-
 runt, ac magno spacio atrociter, non sine Ro-
 manorum periculo aliquo demicarunt: ipso-
 rum tamen res multo fuit deterior, qui fortissi-
 mo quoque ex suis amisso, prælio excesserunt,
 ita tamen, ut compositis ordinibus, nec veluti
 fugientes se reciperent, nec oblata ad sepultu-
 ram cadavera suorum acciperent. Postremo
 omnia experti, quod res nulla processerat, de-
 cernunt ex oppido profugere, atque ex hostium
 manibus occultè, si possent, euadere. At
 eorum inceptum uxores nimio virorum
 amore

Celia

amore flagrantes ruptis cingulis equorum
 impediunt. Quare ultima desperatione
 ad moriendum impulsī, portas urbis clausē-
 runt, ac se, duces, patriamq̄, ferro, veneno,
 & subiecto undiq̄ igne perdidērunt. Theo-
 genes autem vir genere, pecunia, honori-
 busq̄ in ciuitate prestans, vicum suum, qui e-
 rat in urbe pulcherrimus, cum nutrimentis
 ignis raptim contractis combussisset, protinus
 districtis gladiis duobus in medio constitutis,
 binos viros ea conditione inter se decertare ius-
 sit, ut qui victus esset, abscissis à capite cervi-
 cibus in ardentia tecta conijceretur: quara-
 tione cum omnes prorsus vicinos suos neci tra-
 didisset, tum se ipsum quoq̄ in ignem iniecit.
 Scipio autem urbem ingressus nihil omnino
 prada inuenit, quod aurum, argentum, arma,
 vestes, ceteraq̄ eiusmodi omnia igne absorpta
 essent, ac ne unum quidem Numantinorum
 in vincula cathenasue coniecit, quod omnes
 periissent. Ita de Numantia excidio duplex
 fama est: alij à Numantinis, alij à Scipio-
 ne incensam scribunt. Urbe deleta, reliquam
 ille

P. SCIPIO AEMILIANVS.

91

ille regionem in fidem accepit, ceteras, quae defecerant, Hispaniae ciuitates, partim vi, partim deditione in potestatem suam redegit: agrum Numantinum oppidis vicinis distribuit: labantes in fide populos confirmauit, reliquis tributa imposuit: haec omnia intra annum, ac tres menses administrauit, quarto decimo, postquam Carthaginem exciderat, anno: constitutaque ex decem legatorum sententia prouincia, Romam ad triumphum exercitum deportauit, in quo XII. millia pondo argenti tulit: triumphauit autem postero anno, quo Lenas & Rupilius consulatum gesserunt: ex eoque Numantini cognomen inuenit. Hac de causa factum est, ut cum L. Cottam virum consularem florens ipse recentis victoria gloria postulasset, quamquam grauissimis de criminibus reum, tamen condemnare nequiverit, quod veriti sint iudices, ne non iudicasse, sed accusatoris amplitudini damnationem eius donasse viderentur.

Cum Scipio in Hispania bellum gerebat,
Ti. Gracchus uxoris frater, atque superioris
M Africa-

Africani ex filia nepos, cum tribunus plebis
 statum reipublice agrariis legibus, & magi-
 stratus continuatione conuellere conaretur,
 Roma ab optimatibus duce Scipione Nasica
 fuerat interfectus: cuius interitu in castris
 nunciato, Scipio, quo erat erga bonos & erga
 remp. animo, Homericum versum in hanc
 sententiam pronunciarat: Sic abeant utinam,
audebunt qui talia cuncti. Quare cum post
 Numantinum triumphum C. Carbo Grac-
 chanarum legum subscriptor, & Tiberij stu-
 diorum imitator, ipsum in rostra productum,
 quid de Ti. Gracchi morte sentiret, interro-
 gasset, in pristina persistens sententia non du-
 bitauit dicere, Ti. Gracchum, si animum oc-
 cupanda reip. habuisset, iure interfectum sibi
 videri: quibus vocibus cum grauius plebis a-
 nimos, cuius precipue commodis Tiberius in-
 seruierat, offendisset; ab incitata multitudine,
quod numquam alias antea, est explosus.
Qua ille nouitate permotus: Silete vos, inquit,
quibus Italia non est mater, sed nouerca. Ple-
be autem reclamante: Non efficietis inquit,
 ut solus.

ut solutos metuam, quos huc vinctos adduxi. Tum populus memoria repetens, qua sibi virtute eius, & patris, atq; aui, prouincia accessissent, tantorum virorum reuerentia motus obmutuit. Alij, cum legem à Carbone promulgatam de eodem tribuno pl. rescindendo pro concione dissuaderet, hoc ab eo dictum esse prodiderunt. Postero anno, M' Aquillio, C. Tuditano consulibus seditiones agrorum diuidendorum, qua paullo post necem Ti. Gracchi confederant, iterum vehementius exarserunt, C. Graccho, C. Carbone & M. Fulvio triumuiris agros Italia ex lege Tiberij diuidentibus. Quam partitionem iniquè ferentes Italici ad P. Scipionem uniuersi confugiunt, eumq; orant, ne se miseris suis temporibus deserat, atq; à leuissimis hominibus agris suis spoliari permittat. Quorum repudiare preces Scipio haud rectum esse existimans, quod eorum preclara usus opera difficilimis in bellis fuisset, in senatu quidem legem agrariam palam improbare ausus non est, ne forte populi voluntatem vehementius à se disungeret,

M 2

geret,

geret, sed cum de agrorum ex lege diuidendorum difficultate differeret, equum sibi videri dixit, non à triumuiris, qui suspecti facile esse possent iis, quorum res diuiderentur, causas cognosci. Plebs autem cum Scipionem pro commodis sociorum contra rem suam venire animaduerneret, cui bis ipsa consulatum contra leges mandasset, duosq; extra sortem bella grauissima detulisset, ac tot honores semper, tamq; singulares & eximios exquisisset, ab eo prorsus alienata est. Hinc Gracchus ceteriq; qui plebis partes tuebantur, occasionem nacti, Scipionem quotidie palam criminari ad populum, quod agrariam Tiberij legem abrogare, urbemq; ciuium cade ac sanguine contaminare tentaret: usq; adeo, ut plebs incensa Scipionem hanc causam pro rostris agentem clamoribus iterum sibilisq; interpellauerit, eumq; ad maledicta, ut antè, compulerit. Tum vero cum opera Gracchana sublato clamore tyrannum interficiendum esse dicerent; Præclarè patriæ oppugnatores, inquit, me antè de medio tollere cupiunt, quod nec Scipione uiuente Romanam.

nam interituram, nec Roma intereunte Scipionem victurum esse existiment. Itaq; cum M. Fulvius in eum pro concione acerbissime perorasset, ipse populum de periculo contestatus, quod sibi pro patria laboranti parari ab improbis hominibus comperisset, eadem agendi causa in senatum se contulit. Quo dimisso domum reductus est à patribus conscriptis, sociisque Latinis, qui omnem in eo salutis tum suae spem collocarant.

Atq; hic dies ultimus P. Scipioni illuxit. Nam cum tabula apud se posita, in qua scripturus nocte videbatur ea, quae ad populum postridie essent agenda, validus vespere cubitum discessisset, postridie mane mortuus in lectulo, annum vix sextum et quinquagesimum natus, inuentus est, ita ut illata vis non obscura quadam signa in faucibus apparerent. Quibus autem auctoribus interemptus sit, parum conuenit. Sunt, qui, quod infirma valetudine esset, eum sua sponte à vita cessisse tradiderint: alij, quod ea, quae Italicis pollicitus fuerat, prestare non posset, sibi veneno mortem

consciuisse : nonnulli insidiis & veneno à
 socru Cornelia necatum, verita, ne lex à
 Tiberio filio lata, auctoritate illius abrogare-
 tur: idq; factum esse filia Sempronia eius uxore
 non repugnante, vel fratrum gratia, quos
 ipse causa reipub. oppugnabat, vel inueterato
 quodam odio, quo in alterum alter incensus
 erat. Constantior fuit fama, eum à C. Grac-
 cho, et C. Carbone, et inimicis suis ceteris suffo-
 catum: siquidem serui eius, si Appiano cre-
 dimus, in tormentis habiti, ab exteris eum,
 quibusdam noctu domi latentib. oppressum esse
 confessi sunt, sed eorum nomina diuulgare ple-
 bis gratia adhuc irata, et necis eius non ignara
 ausi non sunt. Ut vero mors eius emanauit in
 vulgus, magno omnes prope dolore tristitiaq;
 confecit. Metellus quidem Macedonicus, quo
 cum ille apertissimas et maximas exercuerat
 inimicitias, cum interemptum Scipionem con-
 clamari audisset, se in publicum repente prorip-
 puit, atq; omni similitate deposita, tristi vultu
 et flebili voce: Accurrite, accurrite, inquit, ci-
 ues. Mœnia enim nostræ urbis euersa sunt: si-
 quidem

quidem Scipioni Africano domi suæ quiescenti nefaria vis est allata. Eius cadaver, (ut in Romulo Plutarchus prodit) palam in omnium conspectu iacuit, et liberam omnibus suspicandi facultatem dedit. Apud alios elatum esse capite obuoluto inuenio, ne livor in ore appareret. Neq; tamen cum tantas ille res gessisset, tantamq; reipub. gloriam peperisset, publico funere elatus, sed amplissimo tamen totius mœrentis ciuitatis iudicio, atque grauisimo altero item Macedonici testimonio est ornatus. Nam cum funus instrueretur, Macedonicus filiis suis, quos quatuor clarissimos habuit, dixit: Ite filij, & funebri Scipionis lecto humeros vestros subijcite, et eius exequias celebrate. Numquam enim funus maioris ciuis videbitis. Illud adiungens: se dijs gratiam habere pro salute urbis Romæ vel maximam, quod apud Romanos potissimum, non apud alios Scipio esset natus. Necessè enim fuisse, ibi esse terrarum imperium, ubi ille fuisset. Quod idem in oratione sua posuit Q. Fabius, Q. Fa.

Ingratitudo
 Q. Fabij fratris filius, cum illum pro rostris
 eodem, quo sepultus est, die laudavit. Præter
 Appianum alij magni sanè scriptores consen-
 tiunt, de nece Scipionis nullam esse habitam
 questionem. Quod si ita habuit, minus ei
 certè dolendum fuit, cum idem Scipioni avo,
 aliisque compluribus optimis civibus, fortissi-
 misque viris contigerit, ut post multa atque egre-
 gia sua in rempub. beneficia, aut extra patri-
 am in exilio morerentur, aut alia ratione in-
 gratam erga se civitatis voluntatem experi-
 rentur. Plutarchus quidem plebem ab eo iu-
 dicio constituendo iccirco refugisse tradit,
 quod metuerit, ne questionibus habitis, in C.
 Gracchum tum plebis principem, tamquam
 eius necis auctorem, quidquam seuerius statuen-
 dum esset. Scipionem tamen post mortem po-
 pulus Romanus ita dilexit, ut Q. Tubero soro-
 ris filius, vir eruditissimus propterea in pratu-
 ra petitione repudiatus sit, quod rogatus à Q.
 Fabio, qui epulum Scipionis patrui sui nomi-
 ne populo dabat, ut triclinium sterneret, lectu-
 los Punicanos pelliculis hædinis strauisset, &
 vasa

vasa Samia exposuisset, neq; Africani, diuini hominis, cuius tum memoria mortis honorabatur, rationem duxisset.

Cuius, ut bellicas laudes prateriam, quarum magnitudine facile gloriam maximi cuiusq; ante se imperatoris equauit, adeo multa atq; illustres domestica virtutes extiterunt, ut, illis etiam detractis, clarissimus vir et praestantissimus ciuis necessario habendus fuerit.

Primum enim, quod in tam occupata militaribus negotiis & cogitationibus vita, admiratione dignissimum fuit, adeo liberalia studia omnemq; ingenuam disciplinam amauit, ut nemo illo elegantius interualla negotiorum otio distinxerit, sed semper inter arma & studia versatus, aut corpus periculis, aut disciplinis animum exercuerit. Cuius rei non minimo illud sit argumento, quod cum in Africa bellum maximum ac difficilimum gereret, Polybium tamen, quem nunquam a se dimittere consueuerat, classe tradita, ad regionem illam omnem perlustrandam, moresq; illarum gentium perscrutandos miserit.

N

serit.

serit. Quin etiam idem saepe urbe excedere, et per diu rusticari consuevit, aut ut desiderium populo sui aliquod excitaret, aut ut inuidiae aliquid detraheret, & respirandi locum illis daret, quos virtutis suae splendor offenderet, aut certe, ut liberius studiis rectissimis litterarum inserviret, atque à reip. curis grauioribus paulisper animum cum familiari suo Lelio relaxaret. Quos ambos usque adeo reperascere solitos prodidit Cicero, ut saepe conchas etiam & umbilicos ad Caietam & Lucrinum legere assueverint. Eloquentiae vero laude usque adeo prestitit, ut omnes ante se ciues suos dicendi gloria antecesserit. Cuius rei monumento multae orationes fuerunt, quas ille ornatissimas diuersarum causarum scripsit: quae temporum omnes vetustate consumptae sunt. In contrahendis autem conseruandisque amicitiiis tam diligens fuit, ut quotidianis Polybii insistentes praecipis numquam è foro discederet, quin ciuium alicuius, qui quoquo modo sibi occurrissent, beneuolentiam collegisset: & quodam tempore, cum consulatum petere decreuisset, quia

quia amicum pro alio prehensare ausiuit, ipse petitionis cogitationem omnem abiecerit, quod amico repugnante, atq; adeo etiam non suffragante, decorum sibi non putaret honorem esse illum futurum. Neque vero vocem ullam vehementius reprehendere in amicitia ratione solebat, quam eius, qui dixisset, ita amare oportere, ut aliquando osurus esset: quod negaret, quemquam amicum eius esse posse, cui se posse esse inimicum existimaret. Memorabile etiam illud moderationis eius in Q. Pompeium exemplum fuit. Petebat forte C. Lelius consulatum, eumq; Scipio officij atq; honoris causa in campum deducebat. Cum autem Q. Pompeium consulatum pariter esse petiturum audisset, rogauit illum, an & ipse eum petere magistratum in animo haberet: is cum negasset, seq; praesto Lelio futurum pollicitus fuisset, fefellit tamen spem opinionemq; Scipionis, cum paullo post, ipsum pro se in foro prehensare, allatum est: quam rem ceteris aegre ferentibus Scipio ridens: Stulte facimus, inquit, qui

non tamq̄ homines, sed tamq̄ deos precaturi,
 diu tempus consumimus, tibicinem exspectan-
 tes. Ferebatur enim Pompeius tibicinis filius.
 Lelius etiam apud Ciceronem summam eius
 erga matrem pietatem, eximiamq̄, in sorores
 liberalitatem, magnopere predicat. Nam
 qualis erga fratrem Fabium fuerit, ipse aperte
 declarauit, cum Africani hereditate conten-
 tus, uniuerso ei patrimonio cessit. Iam conti-
 nentia tanta fuit, ut iter faciens cum amicis
 accepto pane vesci saepe solitus sit, tanta absti-
 nentia, ut cum Antiochus rex apud Nu-
 mantiam munera ad eum misisset amplissi-
 ma, ea ipse, non, ut vulgo alij, occultarit, sed
 inspectante exercitu in tabulas referre quæsto-
 rem iusserit, atq̄ ex iis se fortissimum quemq̄
 audientibus omnibus donaturum esse profes-
 sus sit, & quod mirandum admodum vide-
 atur, toto ætatis suæ spatio nihil vendiderit,
 nihil emerit, nihil edificarit, moriensq̄ XXII.
libras argenti tantummodo, duas & selibram
auri reliquerit: ea demum pietate ac religione,
 ut non solum Castoris ædem reficiendam cu-
 rarit,

Continentia
 Xii

ravit, sed Herculis etiam atq; Virtutis dedi-
care voluerit. Deniq; cum tria fuerint, qua
qua ciuem Romanum ad altissimum gradum
dignitatis euexerint, ut optimus esset orator,
optimus imperator, optimusq; senator; hac,
etiamsi ante in Catone, multo tamen expressi-
ora atq; illustriora floruerunt in Scipione.

Quae omnia dij immortales iudicio pro-
pe ac testimonio suo comprobasse visi
sunt, cum eodem anno, quo Scipio,
sol alter interijt, solem ipsum
geminatum prodigiosè, ut
scribit Cicero, morta-
libus ostende-
runt.

E I N I S.



IOANNES CASELIUS S. D.
CAROLO SIGONIO.

PER mihi commodum accidit, Carole Sigoni, vt cum esset, cui ad te litteras darem, aliquid ex monumentis ingenij tui in manibus haberem, & accuratius aliquanto considerarem: vt inde mihi quasi initium siue argumentum epistolæ vltro nasceretur: etsi ceteroqui ad hominem doctissimum scribenti deesse non posset, neq; res nobis digna, neq; oratio honesta, ad quamcunq; doctrinæ partem animo respicerem. Edebam autem his diebus Scipionem tuum: siue eius iterum diuulgandi auctor fueram typographo, atq; etiam adiutor, vt sine mendis in manus plurimorum apud nos veniret. Debui enim consulere & libro, & dignitati tuæ, siue meæ, qui editionis consilium dederam & urgebam. Ille autem mihi ita, vt volui, morem gessit. Expressit enim nobis Scipionem Sigonij typis amplioribus & quos habuit, pulcherrimis, & papyro eleganti. Videre enim volui, ne quis quid in editione optimi libelli desideraret: siue vt mihi meisq; familiaribus hac in re satisfacerem. Nam, ne tegam ineptias meas, non magis aut Achilles, aut Xenophon, quando de vtroq; id præ ceteris imperatoribus celebratur, expetiuerunt sibi *τεύχεα παμφανόωντα, καὶ τὸ ποιητῶν*, quàm ego hæc nostræ, nisi fallor nimio nostri nostrarumq; rerum amore, multo diuinius militiæ arma esse cupio, mihiq; paro, quod in me est: neq; tamen ita alucior, vt præstantiam cum elegantia comparem, nedum hanc illi anteponam: quod faciat quis librorum, quàm sapientiæ studiosior. Ex familiaribus autem, quos dixi, intimi prorsusq; domestici, adolescentes apprimè nobiles, cum vidissent exemplum libri, quod tu olim mihi muneri miseras, eiusq; lectionem, me audiente & quasi manu ducente, degustassent, præsertim cum meis verbis in illa tempora, & loca omnia ducerentur; & ad omnem historiam, præsertim Romanam, cuius quoq; fastos tuos in manibus habebamus, inflammati sunt, & ita exosculati tuum hoc opus, vt ipsum
& ma-

& manu sua descripserint, & sodalium aliquos ad idem legendum tum verbis tum exemplo inuitauerint. Quod cum animaduertissem; nostris adolescentibus & aliis volui consulere: speroq; me hoc meo studio, quod neq; tibi ingratum esse potest, à pluribus inijsse aliquid gratiæ. Me quoq; momente vel confirmante, opera tua alia in manibus habet nostra iuuentus, eloquentiæ & antiquitatis studiosa: neq; non se ex ijs plurimum proficere intelligunt, mihiq; multi de fideli consilio gratias egerunt. Non desum enim ijs, qui has litteras colunt, seq; ad studia sapientiæ conferunt: eos non admodum probans, qui à pueris se artibus dedunt, quibus quæstum faciant, humanitate parum exculti: neq; eos barbariem valde odisse suspicor, qui auaro ingenio sint: in quibus sunt pleriq; lautioris fortunæ, nisi prius etiam voluptatibus se addixerint: quod vt detestabilius, ita frequentius est. Tenuioribus ignoscendum putarem, quos necessitas docet, quid facto opus. In his tamen aliqui, quod præmio pænè nullo proposito rem literariam, id est communem hominum societatem, vt interpretor & res est, laboribus suis & vigilijs adiuuant; beneficio magis diuino, quàm consilio humano euenire existimo. Quibus rebus si non honores, neq; opes, sed paratur vera dignitas, & nominis immortalitas. Quod tibi, neq; omnibus tamen præmijs excluso, neq; summa, quibus si quis alius, tu certè maximè dignus es, adepto, sæpe venire in mentem credibile est, qui incredibiles labores in litteris exhausseris, neq; de posteris etiam bene mereri desinas, apud quos non minus victurus sis, quàm cum his hominibus, aut etiam felicis, sublata in æternum inuidia: id attingi quoq; versibus meis, non cultis forte, neq; tamen in ore natis. Ego etiam meo loco non desum patriæ: certè hoc video, & impetro facile, quod si omnes facerent, vbiuis gentium feliciores essemus, vt ne cui noceam sciens: totus sum in litteris, in aliis sunt per me, qui volunt: cetera neq; litterarum sunt, neq; tu requiris: te colimus, à te amari cupimus. Vale.
Rostochio, ix. K. Apr. Anno. CIO. IO. XXCIII.

Le fils

Tu es mis la royauté à la raison de l'art, rien est fait
de l'autorité. Rendront d'autres hommes après toi, qui
continueront ton œuvre. — Leçons — M. de Vauvenargues
Voltaire, Rousseau, Turgot, Condorcet — —

AB: 154902

ULB Halle

3


003 855 236




so

2







CAROLI SIGONII
DE VITA ET REBUS
GESTIS P. SCIPIONIS
ÆMILIANI
LIBER.

Iam primum in Germania editus,
de consilio, & studio
IOANNIS CASELII.



*Ex donatione Ioan: Caselij
Viri Clariss: Rostochij.*

ROSTOCHII
APVD STEPHANVM MY-
LIANDRVM.
ANNO
CIC IO XXCIV.